

918.

V. 10. 4.



100
7.
MEDITATIO THEOLOGICA
De
AGNO PASCHALI,
Veter. Testamenti sacramento,
ex Exod. Cap. XII. 1 — 12.

IN
DISPUTATIONE PUBLICA
instituta

Sub PRÆSIDIO

GEORGII MOEBII,
SS. Theol. Doct. & Prof. Publ.

RESPONDENTE

ANTHONIO GUNTHERO
FABRICIO,

Rastädâ-Oldenburgenfi, SS. Th. Studios.

In Auditorio Theol. Paulino,

die XIII. Mart.

Anno ἐνανθρώσεως,
M.DC. LXXVII.

LIPSIÆ,
TYPIS JOHANNIS GEORGI.

6.

MEDITATIO THEOLOGICA
De
AGNO PASCHALI
Vetri Testamenti Sacramentis
ex Exod. Cap. XII. 1-13.
DISPUTATIONE PUBLICA
in
SACRO SACRATORUM
GEORGII MORBII
Theol. Doct. & Prof. Publ.
ANTHONIO GUNTHERO
Theol. Doct. & Prof. Publ.
in Antonio Gunt thermo
Theol. Doct. & Prof. Publ.
in Antonio Gunt thermo
Theol. Doct. & Prof. Publ.

6.

36.
& r
cui
mu
mun
ri, v
stu
du
ple
fes
hic
decr
ter
pra
ten
pec
& t
om
Cert





בְּנֵי

PRÆLOQVIUM.

NOtabilia, & observatu digna sunt verba, quæ legimus *Apoc. XIII. 8*, ubi dicitur, quod agnus occisus fuerit ab origine mundi. Per agnum istū Messiam, vel Christum intelligi, patet ex locis parallelis, *Joh. I. 36. I. Cor. VII. 5. I. Petr. I. 19. Apoc. V. 8. 12. & 13. Cap. VI. 1. & 16. &c*; Sed quomodo ab origine mundi occisus dicatur, cuius Lectori non statim est obvium. Nam ab origine mundi, vel, uti Græcus textus habet, ἀπὸ κατὰβολῆς κόσμου à jacto mundi fundamento (per quam phrasin æternitas solet designari, vide *Matth. XIII. 35, Cap. XXV. 34. Apocal. XVII. 8.*) Christus, vel agnus ille Cœlestis occidi non potuit, cum nondum fuerit incarnatus. Hoc enim factum fuit demum in plenitudine temporis sub Imperatore Tiberio, cum Præses Judææ esset Pontius Pilatus. Sciendum itaq; quod hic agnus ab origine mundi occisus dicatur, 1. ratione divini decreti, quia Deus jam inde à mundi origine, vel omni æternitate de redemptione generis humani per Christum præstandâ decretum fecit, quod scilicet ille in plenitudine temporis, tanquam agnus innocens, & immaculatus pro peccatis mundi in sacrificium debeat offerri, *I. Petr. I. 19. 20.* & sic januam ad Cœlestem gloriam, vel vitam æternam omnibus iterum referare. Rectè hinc *Haymo* in h. l. *Certè in prædestinatione occisus est, quia ante omnia secula decrevit Deus*

A 2

Pater.

Pater in filio, & in Spiritu S., ut in fine temporum veniret, & occideretur, ut suam morte nostram redimiret mortem. 2. *Ratione praelectionum.* Deus enim olim multifariam, multisque modis patribus in V. T. fuit locutus *Hebr. I. 1.* & Messiam, ut Redemptorem ipsis promisit, sicut statim in Protevangelio *Genes. III 15*, fuit factum de semine mulieris Contrituro Caput serpentis. 3. *Ratione typorum.* Varia sacrificia Deus in V. Test. instituit, quae minimè nuda fuerunt spectacula, sed Messiam aliquando ita occidendum, & moriendum praefigurarunt, maximè verò hoc eluxit in agniculis sacrificialibus, & sacramentalibus in Paschate. 4. *Ratione efficaciae & virtutis.* Nam virtute reconciliationis per Christum factae omnes credentes V. Test. coram Deo sunt Justificati, & salvati, & sic haec mactatio profuit, antequam fuit, imo valet antrorsum & retrorsum usque ad finem seculi inde à Protoplastis, ita ut salvatis, & salvandis salus vel nunquam obtigerit, vel posterum obtingere queat, nisi per & propter hunc agnum occisum. Hic itaque modus salvandi in sacrificiis clarè Israelitis fuit ostensus, & Consilium Dei de mactando, & offerendo ejus filio pro peccatis hominum ob oculos ipsis positum.

Hi ergò fuere modi praecipui, ob quos agnus ille Dei dicitur occisus ab origine mundi. Nos hanc vice ex *Exod. XII. v. 1-12*, potissimum contemplabimur, quomodo typicè, & in specie in agno paschali fuerit occisus, & representatus. Hoc verò facturi sumus propterea, quia Ecclesia Christiana hoc tempore de caelestis illius agni acerbissimâ passione, mactatione, & morte agit. Quò verò haec nostra meditatio distinctè, & methodicè à nobis peragatur, hinc ex praesenti textu quatuor proponamus 1. *Textus analysis, & ejus orthodoxam explicationem.* 2. *Ejusdem à variis haereticis depravationem.* 3. *Ejusdem vindicationem* 4. *Typicam agni praefigurationem.*
Christum

Christum Jesum ex toto corde veneramus, velit nobis Spiritus sui S. gratiâ adesse, quò hæ meditationes nostræ sacra cedant imprimis in ipsius divini nominis gloriam, & animarum nostrarum commodum, & solatium!

TEXTUS Hebr.

Exod. XII. v. 1 — 12.

v. 1. ויאמר יהוה אל־משה ואל־אהרן בארץ מצרים לאמר:
2. החדש הזה לכם ראש חדשים ראשון הויה לכם לחדשי השנה:
3. דברו אל־כל־עדת ישראל לאמר בעשר לחדש הזה ויקחו לחם איש שוה לבית־שוה לביתו: 4. ואם ימעט הבית מהיוורת משה ולקח הויה ושכנו הקרב אל־ביתו במכסת נפשת איש לפי אכלו תכסו על־השוה: 5. שוה תמים זכר בן־שנה יתוור לכם מן הכבשים ומן העזים תקחו: 6. ויהוה לכם למשמרה עד ארבעה עשר יום לחדש הזה ושחטו אתו כול קהל עדת־ישראל בין הערבים: 7. ולקחו מן־הדם ונתנו על שתי המזוזות ועל המשקוף על הבתים אשר יאכלו אתו בהם: 8. ואכלו את־הבשר כלולרה הזה צליו אט ומצורת על־מררים יאכלהו: 9. אל־תאכלו ממנו נט ובשר מבשר במים כי אם־צליו אט ראשו על ברעיו ועל־קרכו: 10. ולא תותרו ממנו עד־בקר והנתר ממנו עד־בקר באש תשרפו: 11. וככרה תאכלו אתו מתניכם חגרים נעליכם כרגליכם ומקלכם בידכם ואכלתם אתו בחפזון פסח הויה ליהוה:

LXX. Interpp.

v. 1. εἶπε δὲ Κύριος πρὸς Μωϋσῆν καὶ Ἀαρὼν ἐν γῆ Αἰγύπτου λέγων.

2. ὁ μῆν ἔστι ὑμῖν ἀρχὴ μηνῶν, πρῶτος ὑμῖν ἐστὶν ἐν τοῖς μηνὶ Ἰβνιασῆ.

A 3

3. λα-

3. Λάλησον πρὸς πᾶσαν συναγωγὴν τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ λέγων. τῇ δεκάτῃ
13 μηνὸς τέτταρα λαβέτωσιν ἕκαστος πρόβατον καὶ οἰκίαν.

4. Εὰν δὲ ὀλιγοὶ ᾖσιν, ἐν τῇ οἰκίᾳ, ὥς τε μὴ ἰκανὸς εἶναι εἰς πρό-
βατον, συλλήψεται μεθ' ἑαυτοῦ τὸν γείτονα τὸν πλησίον αὐτοῦ κατὰ ἀεὶθ-
μὸν ψυχῶν, ἕκαστος τὸ ἀρκεῖν αὐτῶ συναεὶθμήσεται εἰς πρόβατον.

5. Πρόβατον τέλειον, ἄρσεν, ἄμωμον, ἐνιαύσιον ἔσται ὑμῖν ἀπὸ τῶν
αἰμῶν, καὶ τῶν ἐρίφων λήψεσθε.

6. Καὶ ἔσται ὑμῖν διατετηρημένον ἕως τῶν τέσσαρες καὶ δεκάται τὸ
μηνὸς τέτταρα, καὶ σφάξουσιν αὐτὸ πᾶν τὸ πλῆθος συναγωγῆς τῶν υἱῶν
Ἰσραὴλ πρὸς ἑσπέραν.

7. Καὶ λήψονται ἀπὸ τοῦ αἵματος, καὶ θήσουσιν ἐπὶ τῶν δύο σταθμῶν,
καὶ ἐπὶ τὴν φλιάν ἐν τοῖς οἴκοις, ἐν οἷς φάγουσιν αὐτὸ ἐν αἰσίοις.

8. Καὶ φάγονται τὰ κρέα τῇ νυκτὶ ταύτῃ ὅπῃα πυρὶ, καὶ ἄζημα ἐπὶ
πικρῶν ἔδοσαν.

9. Ἐκ ἔδεσθε ἐπ' αὐτῶ ὠμὸν, ὃ δὲ ἠψημένον ἐν ὕδατι, ἀλλ' ὅπῃα
πυρὶ, κεφαλήν σὺν τοῖς ποσὶ, καὶ τοῖς ἐνδοσίοις.

10. Ἐκ ἀπολήψεται ἀπ' αὐτοῦ εἰς τὸ πρῶν καὶ ὅσῃν ἔ συντρίψετε
ἀπ' αὐτοῦ, τὰ δὲ καὶταλειπόμενα ἀπ' αὐτοῦ εἰς τὸ πρῶν ἐν πυρὶ κατὰπαύ-
σειτι.

11. Ἐτῶ δὲ φάγεσθε αὐτὸ. αἱ ὀσφύες ὑμῶν περιζωσμένοι καὶ τὰ
ὑποδήματα ὑμῶν ἐν τοῖς ποσὶν ὑμῶν, καὶ αἱ βακτηρίαι ὑμῶν ἐν ταῖς
χερσὶν ὑμῶν, καὶ ἔδεσθε αὐτὸ μετὰ σπυδῆς. Πάσχα ἔστι κυρίως.

Jun. & Tremell.

V. 1. *Alloquutus autem fuerat Jehova Moschen, & Aaro-
nem in terra Aegypti, dicendo:*

2. *Hic mensis vobis principium est mensium; primus ille esto vo-
bis inter menses cujusque anni.*

3. *Alloquimini totam congregationem Israelis dicendo, in ipso
decimo die mensis hujus, ut accipiant sibi quisque parvam pecudem pro fa-
milia paterna, parvam pecudem pro quacumque familia.*

4. *Si verò minor fuerit aliqua familia, quàm ut sit par edenda
parva pecudi, accipiat ipse paterfamilias, & vicinus ejus, qui proximus
est domui ejus parvam pecudem pro numero animarum, quisque pro ratione
cibi sui numerabit ad ipsam parvam pecudem comedendam. 5. Parva
pecus*

pecus integra mascula, annicula esto vobis, eam ex ovibus, aut ex capris accipitote.

6. Sitq; apud vos in custodia, usq; ad decimum quartum diem hujus mensis, quo jugulabunt eam totus coetus congregationis Israelis inter duas vespervas.

7. Deinde accipientes ex ipsius sanguine imponent duobus postibus, & superliminari in domibus illis, in quibus esuri sunt ipsam.

8. Comedent v. Carnem illius ea ipsa nocte, eam assam igne, & azymos panes cum herbis amaris comedunto.

9. Ne comedatis ex ea crudum quicquam, aut coctile coctum in aqua, sed assum igne, caput ejus cum cruribus ejus, & cum intestinis ejus.

10. Nec reliquum faciatis ex ea quicquam in matutinum usq; quod autem reliquum fuerit ex ea usq; mane igne comburitote.

11. Ita v. comedatis eam, lumbis vestris succinctis, calceamentis vestris ad pedes vestros, & baculo vestro in manu vestra, sed comedetis eam cum festinatione, Pascha est Jehovae.

Vulgatus.

v. 1. Dixit quoq; Dominus ad Moysen, & Aaron in terra Aegypti:

2. Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.

3. Loquimini ad universum Coetum filiorum Israel, & dicite eis: decima die mensis hujus, tollat unusquisq; agnum per familias & domos suas.

4. Sin autem minor est numerus, ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui conjunctus est domui suae juxta numerum animarum, quae sufficere possunt ad esum agni.

5. Erit autem agnus absq; macula, masculus, agniculus, juxta quem ritum tolletis & hoedum.

6. Et servabitis eum usq; ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitq; eum universa multitudo filiorum Israel ad vespervam.

7. Et

7. Et fundent de sanguine ejus, & ponent super utrumq; postium, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum.

8. Et edent carnes nocte illa assas igne, & azymos panes cum lactucis agrestibus.

9. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igne, caput cum pedibus ejus, & intestinis vorabitis.

10. Nec remanebit quicquam ex eo usq; mane; si quid residuum fuerit, igne comburatis.

11. Sic autem comedetis illum: Renes vestros aecingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculum in manibus, & comedetis festinantes; Est enim Phase (id est transitus) Domini.

SECTIO PRIMA

Exhibens textus analysin, ejusdemq; orthodoxam explicationem.

§. 1.

IN hoc duodecimo Capite Exodi Israelitæ antea Ægyptiorum servi, in libertatem vindicantur, & publicis Constitutionibus in verum, & proprium Reipubl. Corpus redigi ac formari incipiunt. Nam constat, quod hæcenus multos annos in Ægypto vixerint, & Ægyptiis servierint, eorumq; jugo subiecti fuerint. Coacti ergo fuerunt, publicis ipforum legibus parere, & aliorum ordinationibus obsequi. Nunc autem cum libertas in propinquo esset, incipit Dominus Rempublicam Israeliticam per Mosen publicis legibus, & ordinationibus formare, & confirmare, & hæc omnia eo fine, quo in hoc populo non tantum publica pax, honestas & tranquillitas, verum etiam legitimus Dei Cultus, vera Dei Religio, & promissiones patribus de benedicto semine, seu Messia factæ, conservarentur. Hinc primò omnium annus describitur in certos menses, & mensis primus ordinaturis, in quo illi ex Ægypto egressi erant. Vocatur is Nisan, quâ de voce mox plura. Deinde instituitur festum paschatos, scilicet in memoriam transitus istius memorabilis, quo Angelus Ægyptum transiverat, & omnem primogenituram Ægyptiorum percusserat, salvis permanentibus Israelitis, quorum domus, vel potius postes domorum sanguine

gvine maētati agni illiti fuerunt. Ipsa vox itaq̄ פסחא *prateribo*, no-
men huic festo dedit;

§. 2. Cum hoc festo Deus simul etiam instituit agnum pa-
schalem, tanquam alterum Ecclesiae V. Testamenti Sacramentum,
sicut jam ex textu pluribus id ipsum sumus monstraturi.

§. 3. Agitur ergo hic 1. de institutionis hujus Sacramenti *causa*
principali 2. *Ministeriali*, 3. de institutionis hujus *sacramentalis materia*;
4. de ejusdem *actionibus*, quarum *quatuor* recensentur, 1. *sumptio*, si-
ve *separatio* agni paschalis; 2. *maētatio*; 3. *assatio*; 4. *comestio*. Non
paucæ simul circumstantiæ occurrunt, quas breviter quoq̄ expen-
damus.

§. 4. Antequam verò has partes ex textu explicemus, duo
præliminaria præmittenda sunt, quæ ad illustrationem hujus mate-
riæ maximè faciunt; 1. erit de ipsa re, ubi quaeritur, *An institutio hujus*
agni paschalis fuerit Sacramentum, vel, an potius sacrificium? Alterum erit
de nomine *Pascha*, vel פסחא *Phase*, uti reddidit Vulgatus.

§. 5. Prius quod concernit, necessarium duximus, ut hæc
quaestio fundamenti loco præmitteretur. Nam si constiterit, agnum
paschalem non fuisse sacramentum, sed sacrificium propriè dictum,
prout multi contendunt, & imprimis Pontificii, vide *Bellarmin.* l. 1. de
Miss. c. 7. p. 925. *Cornel. à Lap.* in h. l. p. 450., *Lorin. in Levit.* p. 767.
tunc tota hæc tractatio erit supervacanea. Nos itaq̄ affirmamus,
agnum istum paschalem fuisse sacramentum, haut verò sacrificium
propriè dictum. Sententiam nostram probamus sequentibus ratio-
nibus, quia 1. *agno huic non fuere imposita peccata*, sicut aliis victimis,
vel sacrificiis. vide *Levit.* l. 4. 2. *quia nec combustus fuit in atrio templi su-
per altare holocausti, igne altaris*, sicuti propriè sic dicta sacrificia, sed
igne culinari fuit assatus. 3. *quia domi fuit maētatus intra privatos*
parietes, & assatus igne à domesticis ministris; sacrificia verò maētaban-
tur à sacerdotibus, & quidem in atrio templi. Nam populo hic im-
molationem lex tribuit, non sacerdotibus. Id ipsum testantur ve-
teres etiam Judæi, ut *Philo* l. 3. de *vita Mos.* ubi ita scribit: *Non ut a-*
lias plebei homines victimas adducunt ad altare, maētandas à sacerdoti-
bus, sed jubente lege tota gens sacrificat, dum pro se quisq̄ maētat hostiam
propriis manibus. Similia habet *Josephus* l. 2. *Antiq. Jud.* c. V. p. 60. Idem do-
cet *Lyra* ad 2. *Paral.* c. 30. *Immolatio agni, inquit, fiebat in quâlibet domo,*
& ideo fiebat à patrefamilias. Quando autem *Lyra* hic dicit, *immola-*
rio

tionem factam fuisse in qualibet domo, id non intelligendum est, quasi post educationem ex Ægypto, constitutâ Republ. Judaicâ, extra Jerusalem, hoc factum fuerit, sed de ipsa urbe Jerusalem hæc intelligenda sunt. In Ægypto quidem, & in deserto, ubi nullam ejusmodi urbem habebant, ad quam quotannis confluere poterant, in privatis ædibus, ubicunq; tunc habitarunt, agnum hunc mactarunt, & comederunt; sed constitutâ Republ. Hebræorum postquam terram Canaan ingressi erant, non nisi Hierosolymis id fieri debebat, ut lex imperabat *Deut. XVI. 5.* & patet simul ex observantia *Luc. II. 41. 42.* Non autem necesse fuit, ut fieret in ipso templo, prout ex Nostratibus *D. Mich. Walther. in Offic. Bibl. p. 817.* & *D. Brochm. Tom. 2. system. p. 1097. Hasphan. Part. 1. Not. p. 335.* Ex Pontificiis, post *Cl. Sanctium & Tostat. Serarius* putant, qui in *Jos. Cap. V. p. 470.* ubi pro se producit *Justinum Martyrem*, in *Dial. Cum Tryph. R. Saadium Gaonem, & Maimonidem*, rationem addit ex falsâ hypothesi, quia agnus paschalis à solis sacerdotibus fuerit mactatus, & immolatus. Sed falsa est hæc sententia, uti paulo ante ostendimus. Refutat eandem ipse *Cornel. à Lap. in h. l. p. 420.* ubi urget verba mandati divini, quæ extant h. l. quod scilicet *universa multitudo filiorum Israel agnum paschalem mactare debeat.* Et quoniam *Esd. VI. 20. Sacerdotes & Levite dicuntur purificati ad immolandum pascha universis filiis transmigrætonis*, nihil tamen ex eâ re colligi potest. Nam pascha ibi sumitur pro omni sacrificio paschali (in paschate enim de ovibus & bobus sacrificia offerebantur. *Deut. XVI. 2.*) tam agni, quam aliarum victimarum. Verior itaq; est sententia, agnum paschalem Hierosolymis in quovis loco honesto immolatum & comestum fuisse, quod patet ex ipsis tum institutionis paschalis verbis, tum exemplo Christi *Matth. XXVI. 28. 29. Luc. XXII. 11. 12. Marc. XIV. 14. 15. IV. quartum argumentum* petimus inde, quia proprium, & essenziale sacrificium fuit, ut vel tota, vel certè pars ex illa Deo fuerit oblata, & igne absorpta, de agno verò paschali nihil fuit Deo oblatum, vel igne consumptum, sed potius totus fuit assatus, & manducatus. V. quia nullum sacrificium potuit fieri in Ægypto propter abominationes Ægyptiorum, *Exod. VIII. 26.* sed agnus paschalis fuit legitime mactatus, & manducatus in Ægypto: Ergo non fuit sacrificium propriè sic dictum. 6. Ex testimonio quorundam Pontificiorum. Sic enim *Tostatus ad Num. IX. qv. 34. p. 104:* Respondendum est, inquit, quod agnus paschalis non erat sacrificium, cum non sit vel sub hostia pro peccato, vel sub hostia pacifica, vel sub holocausto,

causto, sed vocabatur large sacrificium, quia habebat aliquas proprietates sacrificii. Idem serè iudicat ipse Bellarm. l. I. de Miss. c. 4.

§. 6. Dicitur I. Agnus in hoc textu dicitur immolari. Jam verò quicquid immolatur, illud est victima, vel sacrificium. Ita Cornel. à Lap. in h. l. p. 465.

R. Ex verbo *immolari* nullum ducitur firmum argumentum. Nam in Hebr. est *זבח* quod est generale, significans *immolare, mactare & occidere*. Sic Jerem. XXXIX. 6. usurpatur de Rege Babylonix, qui occidit filios Zedekix. Ad actum itaq; sacrificialem plura requiruntur, quàm mactatio. Hinc ipse Bellarm. l. I. de Miss. c. 2. p. 932. dicit, id esse sacrificium propriè dictum, quod propriè, & per se ad actionem sacerdotis pertinet. Unde rectè inferimus, agnum paschalem non fuisse sacrificium propriè dictum, quia à sacerdotibus non fuit mactatus.

§. 7. Dicitur II. Agnus paschalis expressè appellatur *זבח*, sacrificium, Exod. XII. 27. imò Marc. XIV. 2. dicitur, quod Pascha *ἔθυσεν*, immolarint. Ita cum quibusdam objicit Hacspian. part. I. Not. Phil. p. 335.

R. 1. Agnus paschalis dicitur sacrificium non propriè, sed Metonymicè, quia fuit figura sacrificii Christi, & effusionis sanguinis ejus in ara crucis facta; Sed ex eo nondum sequitur, quod fuerit propriè sic dictum sacrificium.

2. *זבח* est verbum generale, & significat *mactavit, immolavit, occidit pecudes ad Convivium, vel sacrificium*, ut constat ex Genes. XXXI. 54. Deut. XXIX. 31. 1. Sam. XXVIII. 24. 1. Reg. XIX. 21. Ezech. XVI. 20. Celebratio itaq; agni paschalis dicitur sacrificium, vel immolatio propter mactationem, & quidem non vulgarem, sed religiosam, & sacram. Sola ergo immolatio sacrificium non constituit. Cum sacrificio quidem agnus paschalis habuit magnam affinitatem, sed non fuit sacrificium propriè dictum.

3. Eadem ratio est verbi *ἔθυσεν*. Nam illud itidem generale est, quamvis mactationem significans, uti constat ex Matth. XXII. 4. Luc. XV. 23. Job. X. 10. Immolatio igitur sola, uti diximus, ad sacrificium propriè sic dictum constituendum non sufficit.

§. 8. Dicitur III. Apostolus 1. Cor. V. 7. Christum, qui per agnum paschalem fuit præfiguratus, expressè appellat *pascha immolatum*, id est, victimam, quæ pro nobis fuit immolata. *Τὸ πάσχα ἡμῶν*, inquit, *ὑπὲρ ἡμῶν ἐθύθη χριστός*. Ergo etiam agnus paschalis fuit victima, cum typus, & antitypus debeant convenire. Ita Bellarm. l. I. de Miss. c. 7. p. 965. aliq;.

R. Typus quidem fuit agnus paschalis Christi, sed tantum ratione *maetationis*, non verò ratione *oblationis*. Nuspiam enim legimus, quod agnus paschalis tanquam hostia Deo fuerit oblatus. Sola itaque maetatio sacrificium non constituit. Adde, quod non sit necesse, ut typus cum antitypo in omnibus conveniat, & sæpe plus sit in antitypo, quam in typo. Vide *D. Glass. l. 2. Phil. S. part. 2. p. 469.* Cõfer de hac controversiâ *D. Frantz. In Schol. sacrific. Diss. XII. p. 332. D. Rungium Comm. in Exod. p. 402. D. Gerhard. Tom. IV. LL. p. 561. & Part. 2. Harm. cap. 169. p. 1218. D. Brochmann. Tom. II. system. p. 1092. D. Affelmann. part. 1. synt. p. 926. D. Dorscheum in Mysar. Miss. dissert. prælim. p. 10, & 51. D. Walther. in Offic. Bibl. p. 815. D. Calov. Part. 1. Bibl. Illustrat. p. 366. Rivetum in Exod. p. 230.*

§. 9. Nunc de ipso nomine, quo hoc sacramentum insignitur, aliquid addendum. Nomen extat in fine nostri textus v, ii. ubi dicitur: פסח ליהוה Est *Phase Domini*. Hebraicum פסח à Græcis interpretibus Vet. Test. in *πάσχα* mutatum fuit, excepto *2. Paralip.* ubi ea vox decies septies occurrit, & nunquam *πάσχα*, semper *φασέχ* in Græco scribitur; vide inter alia *cap. XXX. 2. Chron. v. 1. 2. & c.* Unde suspicari licet, hunc librum non ab eo authore, à quo Pentateuchus, translatus fuisse. Latinus Interpres in Vet. T. legit *Phase*, excepto *Ezech. XLV. 21. & Esdr. I. cap. VI. 19.* ubi *Pascha* legitur. Quid ei venerit in mentem, ut quod ab Hebræis dicitur *Pesach*, deflexerit in *Phase*, disserit *Anton. Nebrissensis* in Annotat. c. 33. p. 225. *P. exide*, inquit, in aspiratum verti, frequens est apud eos, qui de Hebræo sermone transferunt in græcum, aut latinum. Ut pro eo, quod Hebræi dicunt, *Paro, Pasga, Pasur*, Græci primum, deinde Latini transtulerunt *Pharao, Phasga, Phasur*, & mille alia. *Scheva* verò apex, qui subijcitur primæ literæ, cum ab his serè semper per *E* proferatur, Græci, & Latini plerumq; vertunt in *A*, ut pro eo, quod illi dicunt, *Semuel, Zebulon, Rephaim*, nos per *A* proferimus. Sed videtur, quod Latinus Græcum *φασέχ* imitatus fuerit, à cuius fine si *X* resecueris, remanet *Phase*, quæ rejectio literarum in fine non infrequens est, ut in *יהוה* Jehova, *נח* Noa, *משה* Mose, *מש* Mes. *Gen. X. 23. יאֶרֶח*, *Jare*, ibidem v. 26. & aliis multis.

§. 10. Cæterum פסח est à Rad. פסח transit, transilivit. Immediatè itaque *Pascha* dicitur à *transitu*, sive *transilitione* Domini, quâ justo iudicio pertinaciam Pharaonis puniturus primogenita Ægyptiorum Angeli percussoris potestati permisit, Israelitarum domus verò transiluit, & ab illarum ingressu vastatorem prohibuit.

§. 11.

§. 11. Quamquam verò Pascha ratione originis propriè notat transitum Domini cum percussore per Ægyptum, *Exod* XII. 27. attamen alias quoque habet notationes. Significat enim 2. אֶת festum solemne, & anniversarium, in quo in memoriam horreni transitus, & gravissimæ percussiois agnus mactabatur, & comedebatur, cujus institutio est *Exod.* XII. 14. 3. singulariter ipsam ceremoniam, sacramque actionem, quæ hoc Sacramentum V. T. administrabatur, *Exod.* XII. 13. 4. Agnum in festo, hæc ceremoniâ conficiendum, 2. *Paral.* XXX. 17. 18. *Matth.* XXVI. 17. 5. Antitypum illius agni sacramentalis Christum, 1. *Cor.* V. 7.

§. 12. Præmissis nunc hisce, agamus I. de *Causa Institutionis huius sacramenti principali*, quæ est Deus. Nam ita in textu v. 1. *Dixit quoque Dominus.* Exprimatur itaque hæc causa principalis, cui tota hæc actio, quæ in sequentibus instituta fuit, ascribitur. Sacramenta enim ab hominibus institui non possunt. Quia enim sunt instrumenta, per quæ Deus se, suaque bona hominibus dispensat, hinc etiam ab illo, tanquam principio, & authore debent proficisci. Deus verò hæc intelligitur Trinus, quia est actio ad extra.

§. 13. II. Consideranda est *Causa ministerialis*. Illa est Moses, & Aaron. Ita enim porro textus: *Dixit Dominus ad Moysen & Aaron in terra Ægypti.* Moysi itaque & Aaroni Deus in mandatis dedit, ut sacramentum hoc juxta ejus præscriptum instituerent. Moses autem & Aaron qui fuerint, ex sacris est notissimum, adeo, ut supervacaneum ducamus, de his h. l. multa proponere. Istud tantummodo expendere juvat, quo revelationis & allocutionis modo Deus hæc ad Moysen, & Aaronem detulerit. Nam haut uno modo Deus in V. T. se patefecit. Quinque enim præcipui fuere modi, quibus hoc ipsum peregit. Primo hoc fecit בְּרִאיוֹנָם per visionem, quando res in visionibus revelata hominibus contemplandas exhibuit. 2. fecit בְּחִלְמוֹתָם in somniis. 3. בְּחִזְיוֹנָם in ænigmate, cum aliud viderent, aliud verò significabatur, ut erat, cum librum Ezechiel comederet, qualis etiam fuit Apocalypsis Johanni facta. 4. בְּחִזְיוֹנָם in figura, seu idea, cum rerum imagines viderunt. 5. fecit $\text{בְּדַבְרֵי אֱלֹהִים}$ per allocutionem divinam, qui modus omnium præstantissimus fuit.

§. 14. Modis hisce ab aliis merito accensentur illi, quibus Deus etiam responsa dedit per אֲרֻמֵי אֹרְיִם *Urim, & Thummim*, *Exod.* XXIX. 30. cujus

usus quidem tantum in primo templo fuit. Vide de hisce & aliis divinorum responforum modis *Tractat. nostrum de Orac. Ethnicis cap. 1. p. 17. seqq.*

§. 15. Jam dispiciendum est, quo alloqvendi modo Deus erga Mosen & Aaronem h. l. usus fuerit? Nimirum fuit is, quem quinto loco expressimus, qui fiebat פה אל־פה ore ad os. Hoc ipse Deus testatur Num. XII. 6. 7. ubi ita ait: *Audite nunc verba mea; si est Propheta ex vobis, per visionem meipsum Jehovam notum facio ei, aut per somnium alloqvorum.* v. 7. *Non sic servus meus Mosche, qui est in tota domo meâ fidelis.* v. 8. פה אל־פה וּמְרֵאָהּ וְרָאָהּ בְּחִירָתָא id est, ore ad os loqvor ad eum, & non visione, & non in enigmatibus. Moses ergo tanquam magnus Propheta hoc præcipuum habuit, ut Deus ore ad os illum allocutus fuerit. Ubi notandum, quod in his verbis ἀνδρῶν πρὸς ἑαυτὰς occurrat. Deus enim tanquam spiritus simplicissimus non habet os, sed ore ad os alicui loqui ille dicitur, cum familiaris, & intimus se ei patefecit. Vide *Vatabl. in Not. ad h. l. p. 320. & D. Glass. 1. V. Philol. S. tract. 1. c. 7. p. 109.* Quamvis verò in adducto loco Aaron non simul exprimitur, quod Deus ipsum quoque ore ad os allocutus fuerit; attamen cum hic conjungantur, nullum est dubium, quin ille quoque hoc divino alloqvendi modo dignatus fuerit.

§. 16. Circa institutionis hujus sacramenti causam ràm principalem, quàm ministerialem circumstantia quædam expendenda est, videlicet *ratio temporis*, quædo sc. hoc sacramentum fuerit institutum? Nimirum fuit decima dies istius mensis. Ita enim Deus dicit in præfenti textu; *Decimâ die mensis hujus tollat unusquisque agnum.* v. 2. addit, quod mensis hic debeat esse ראש חודש caput, vel principium mensium & primus in mensibus anni. Tempus verò duplici modo hic considerandum est, 1. respectu institutionis, 2. administrationis. Institutio facta est Anno mundi 2453. Nam à conditu mundi ad diluvium sunt anni 1656. à diluvio ad Abrahamæ nativitatem 292. à nativitate Abrahamæ ad egressum ejus ex Haran in Canaan, & Ægyptum, anni 75. *Genes. XII. 4.* à primo Abrahamæ in Ægyptum ingressu ad egressum Israelitarum ex Ægypto, anni 490. *Exod. XII. 40. Gal. III. 17.* Hi anni additi verum annum exodi, & instituti hujus sacramenti produciunt 2453. à mundo currentem. Alii constituunt cum *Fancio* Annum 2454. alii, ut *Torniellus in Annal.* Annum mundi 2544. alii, ut *Codomanus* 2544. sed hi omnes errant, maxime Græci, qui 3690. annos à mundo condito ad

EXO-

exodum numerant. Vide *Eusebii Chron.* & in primis *D. Dorscheum* l. c. p. 17. 18. qui hos errores accuratè refutat.

§. 17. II. Tempus *administrationis*, juxta diversas actiones variat. Nam segregatio agni fiebat die X. mensis Nisan, qui partim nostro Martio, partim Aprili respondet. Dicitur autem hic mensis Chaldaico nomine נִסַן à fugiendo, quod eo mense profugerint Israelitæ ex Ægypto. Hebræis aliàs dicitur אֲכִיב *spica maturescens*, & *spica cum calamo*, quia fruges eo tempore apud Judæos maturescunt, & demetuntur. Incidit verò in æquinoctium vernum, seu ingressum solis in arietem, quo tempore sol vertici eorum, qui Palæstinam incolunt, ferme tam propinquus est, quàm nostro solstitii tempore. Observandum verò est, quod hoc loco primus mensis, sive initium anni determinetur. Expresè enim Deus dicit v. 2. *Mensis iste vobis erit principium, primus erit in mensibus anni.* Cum hoc verò minimè pugnat, quod תִּשְׂרִי *Tisri* (qui est mensis septimus in ordine à Nisan, in quo fit vindemia, & ex uvis תִּירוֹשׁ mustum exprimitur, nostro Septembri maximà ex parte respondens, vide *Schindler. in Lex. p. 1943.*) *Levit. XXV. 8.* initium anni statuitur. Habuerunt enim Hebræi duplicem annum, *Politicum* scilicet, & *Ecclesiasticum*. Politici initium est æquinoctium autumnale, sub quo existimant, mundum à Deo fuisse creatum in תִּשְׂרִי *Tisri*: Ecclesiastici verò anni initium est in novilunio circa æquinoctium vernum, sub quo ex Ægypto sunt egressi in נִסַן *Nisan*. Vide hîc *D. Gerb. Tom. IV. LL. p. 548.* & *Brentium Tom. I. Opp. p. 429.*

§. 18. Duæ ergo fuère ab eo tempore tationes annum inchoandi apud Hebræos, una communis, vel politica, altera sacra, sive Ecclesiastica. Communis incepit, uti diximus, à mense Tisri, & hunc scriptura, pro ut ostendimus, vocat septimum, sc. à mense Nisan. Ab hoc incipiunt numerare annos Sabbathi, & Jubilæi, (ut apparet *Levit. XXV. 8. 9. 10.*) ac omnium contractuum, & negotiorum secularium. Nam, ait *Joseph. l. i. Antiq. Jud. c. 4. p. 17. quod ad nundinationes rerum venalium, reliquarumq; dispensationem attinet, nihil de pristino ritu innovavit Moses.* Sacra, sive Ecclesiastica fuit, quæ computationem incipit à mense Nisan. Ab hoc itaq; numerant festa anni, & reliquæ, quæ ad festorum rationem pertinent. De hac anniratione idem *Josephus* refert, *Mosen ex Dei mandato Nisan, qui Græcis est Xanticus,*
mon.

mensum primum in suis festis ordinasse, quod per hunc Hebræos ex Ægypto eduxisset, eundem etiam omnium, quæ ad rem divinam pertinent, initium fecisse.

§. 19. Id ergo merito hic observandum est, quod Dominus novam veluti inaugurationem annum consecrat, jubetque mensum, qui septimus erat, anni sacri esse initium, ut melioribus exordiis occuparentur, divinorum beneficiorum consideratione, quam intuitus rerum omnium mense illo virescentium, aleret, & conservaret, quando sc. illo tempore in vitam quasi retractos se cogitarent mirabili modo, quo cæteris è terra nascentibus, & sub frigore pene emortuis, vigor, decorque calore solis reddi, experientiam comprobatur.

§. 20. Neque istud hoc loco prætereundum est, quod mensis *Nisan* in scriptura admodum memorabilis sit. Nam 1. in *Nisan* celebratum fuit festum paschatis augustissimum. 2. in *Nisan* instituitur simul Sacramentum agni paschalis. 3. in *Nisan* Hebræi egressi sunt ex servitute Ægyptiaca. 4. in *Nisan* ingressi sunt terram promissionis, ut patet *Jos. IV. 19.* 5. in *Nisan*, ut cum *Ambrosio* mox citando multi volunt, mundus fuit creatus. 6. in *Nisan* fors jacta fuit in urnam coram Hamano de perdendis universis Judæis, qui tamen mirabiliter fuere conservati, *Esther. III. 7. seqq.* 7. In *Nisan* quotannis exhilarati fuere universi Hebræi, eò quod in *Palæstina* segetes hoc tempore, maximè hordei maturescere incipiunt; Hinc haut abs re *Ambros. de Pasch. myster. c. 2. Tom. III. f. 163:* *Est pascha in vere anni principium, primi mensis exordium, novæ germinum reparatio, ac terra hyemis nocte discussa, primi veris restituta jucunditas. Hoc tempore visibilia, & invisibilia conditor Deus, defixa humo cæli machinam suspendens diem, solis ardore radiavit, splendorem lune solatio noctis attribuit, pendentem cæli cameram splendentium siderum decoravit ornatu. &c.* 8. In *Nisan* Christus fuit conceptus, passus & mortuus, imò in *Nisan* resurrexit. Fortassis in *Nisan* mundi interitus, & mortuorum resurrectio futura est.

§. 21. III. Expendamus nunc institutionis hujus sacramentalis materiam. Hæc, uti in omni sacramento est duplex, 1. terrena, quæ in textu his exprimitur verbis; *Decimâ die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias & domos suas; v. 5. additur: Juxta quem ritum tollitis & hædum.* Materia itaque hujus sacramenti in lingua S. appellatur *אֶזְרָא* quæ vox significat parvam pecudem, tam ovinam, quam caprinam, id est, hædum, sive agnum. Ex utraque enim specie ad pascha, vel hoc sacramentum celebrandum poterant Hebræi immolare, & edere.

§. 22.

§. 22. Quæritur autem hoc loco : An etiam hœdus in hoc sacra-
 mēto simul cum agno paschali adhiberi consueverit, & ex mandato divino ma-
 stari debuerit? Vulgata versio hoc innuit, quando v. 5. dicit : *juxta quem*
ritum tolletis & hœdum. Hanc sententiam sequitur etiam Cyrillus in Ca-
 ten. V. Græc. ut & Francisc. Zephyr. p. 127. ubi ita inquit : *Requiritur*
agnus, anniculus adhibetur, & hœdus non sine mysterio. Agnus enim purum est,
& immaculatum sacrificium, hœdus autem pro peccatis offertur, &c. Sed falsa
 est hæc sententia. Deviat enim Vulgatus à fontibus, in quibus verba
 ita habent ; *וּמִן הָעִזִּים וּמִן הַבְּשָׂרִים* id est, *ex agnis, aut capris,*
tolletis. Ad verbum quidem est ; *ex hœdis, & ex capris ;* Verū Conjunctio
 h. l. non est copulativa, sed disjunctiva, sicut Exod. XXI. 15 : *Qui per-*
cutit patrem suum, matrem autem suam ; Ubi itidem est particu-
 la disjunctiva. Idem videre licet Jud. XI. 31. ubi Jephtha ita inquit :
Et erit, qui egreditur è foribus domus meæ in occursum meum, cum revertar in
pace à filiis ammon, aut erit Jehova, aut of-
feram illud in holocaustum : Hoc est, aut consecrabitur Jehovæ, aut cul-
 tui divino dicabitur, ut perpetuò seruiat Domino, si sc. sit homo, aut
 immolabitur, si sc. sit animal, quod ex lege immolari potest. Vide
 hîc D. Franz. de Interpr. S. script. Orac. 21. p. 823. D. Glass. l. IV. Philol. S.
 Tract. 1. observat. 7. p. 687. Fessel. in Adversar. S. p. 51. Hacsphan Part. 1. Not.
 Phil. p. 588. El. Sedium de Dis German. p. 357. Sixtin. Amamam in Anti-
 barb. Bibl. l. III. cap. 20. p. 631.

§. 23. Licuit ergo vi institutionis divinæ non solum agnum
 in hoc sacramento usurpare, sed etiam loco agni hœdum, usus tamen
 frequentissimus fuit, & pene solus obtinuit, ut agnus adhiberetur.
 Errat itaq; Burgenfis, qui negat, pro agno immolari potuisse hœdum.
 Refutat hunc ipse Cornel. à Lap. in h. l. p. 420.

§. 24. Cur autem agnus in sacramento cibum fuerit destina-
 tus, sola voluntas divina, suprema ratio est. Lyra & alii putant, id fa-
 ctum fuisse in contemptum numinum Ægyptiorum, qui ejusmodi
 animalia sacra, & inviolabilia crediderunt, & Jovem in figura arietis
 coluerunt. Sed frivola est hæc ratio. Nam sic Deus potius vitulum
 elegisset, quia Ægyptii maximè coluerunt suum Apin in specie bo-
 vis, & vituli. Probabilius est, Deum elegisse agnum 1. quia vilioris
 erat pretii, & proinde parabilior etiam cuilibet tenui familiæ, cujus
 etiam carnes sunt ad edendum aptæ. 2. quia agnus est animal mun-
 dum, & simplex. Hinc Festus Pompejus : *Agnus, inquit, dicitur à Græco*

C

ἀγνός

אֶזְרוֹס, quod significat castum, eò, quod agnus sit hostia pura, & ad immolandum apta. De aliis rationibus, quæ ad typum spectant, infra dicemus.

§. 25. Circa materiam hujus sacramenti expendenda etiam est agni sacramentalis conditio. Tres autem conditiones hic exprimuntur 1. ut sit אֶזְרוֹס perfectus. LXX. reddiderunt ἑλεῖον, Vulgatus, sine macula, unde fuerunt, qui id intellexerunt de macula coloris. Vidi virum eruditum, inquit Sixt. Amama in Antib. Bibl. l. 2. c. VI. p. 460, qui hoc interpretaretur de maculâ coloris. Certè illud non excidisset viro eruditissimo, si vocem Ebraeam considerasset. Ea est אֶזְרוֹס id est, perfectus, integer, sine vitio, non mutilus, aut truncatus, aut vitiosus ullâ parte corporis. LXX. reddiderunt ἑλεῖον, Chald. Onk אֶזְרוֹס quod idem valet. R. Salomon, & Abenesra interpretantur אֶזְרוֹס sine macula, vel vitio.

§. 26. Secunda conditio est, ut sit masculus. Nam & hoc ad perfectionem pertinet. Præstantior enim est hic sexus, & præstantiora Deo sunt immolanda. Fœmineum verò sumitur pro molli, fluxo & instabili; masculum contra pro forti & robusto. Tropologicè significatur, veros Dei cultores masculos debere animos habere imprimis in adversitatibus, & persecutionibus. Vir, inquit Cassiodorus in Psalm. I. vocatus est à viribus, qui nescit in adversis tolerandis deficere, aut in prosperis aliquâ elevatione se jactare, sed animo stabili defixus, & celestium rerum contemplatione firmatus, manet semper imparvidus.

§. 27. Tertia conditio est, ut sit anniculus. Hebr. אֶזְרוֹס filius anni. Hæc quidem conditio præcisè non requirit, ut annum compleverit, sed ut annum non excefferit, quia poterat immolari etiam anno minor, sed non major. Triplex hæc agni paschalis conditio optimè accommodatur ad antitypum, id quod infra monstrabimus. Exinde verò discimus, quod à teneris nos Deo dicare, ipsi quæ servire debeamus. Nam, inquit Hugo Victor de Claustro animæ, cap. 10. qui in hac ætate se domant, & Deo sociant, præmium Johannis expectant. Paulo post: Tales ait, offerunt hostiam Deo viventem, Deo placentem, immaculatam, non aure, non oculo non pede, non caudâ carentem. Audiât hoc senum conversio, quibus ex defectu senectutis aures obturantur, oculi turbantur, & ut cuncta breviter perstringam, ipsi in se, per se deficiunt. Hi verò non offerunt agnum immaculatum, sed, ut ita dicam, porcum curatum. Sicut enim porcus in immunditiis; sic senex jacens in vitiis: & sicut porcus si quis pascitur; sic senex fabulis, & rumoribus delectatur.

§. 28. Vidimus hætenus materiam terrenam hujus sacramen-

menti, nunc etiam cœlestem, vel objectum cœlestē contemplantur.
Illud fuit verbum promissionis, finis & usus saluberrimus, qui omnibus dignè edentibus, & credentibus gratiam Dei præstitit, ut & remissionem peccatorum, & vitam æternam. Probamus hoc

1. in *Genere* ab alterâ essentiali & cœlesti parte omnium sacramentorum, quæ Jesus Christus est, mediator inter Deum & homines unicus cum sua carne, & sanguine, & quidem in V.T. typicè, in N. autem essentialiter. Quod si igitur res cœlestis in agno paschali fuit caro & sanguis Jesu Christi typicus, promissio utique ipsi non defuit. Ad quid enim hæc tanta bona sine promissione gratiæ?

2. In *specie*, & quidem *i. ex fine*, quo Pascha ipsis toties commendabatur IN RECORDATIONEM, & memoriale, nullâ unquam oblivione sepeliendum. Fatemur equidem, digitum hoc verbo extendi ad beneficium educationis ex *Agypto* præteritum, interim tamen nemo facile dubitabit, respectum simul fuisse habitum ad beneficium Messia futurum, cujus tanquam spiritualis, & æternum duraturi potior erat ratio, quam istius corporalis.

2. Ex *promissione & comminatione huic sacramento addita*. Continetur illa v. 15. hujus XII. Cap. & Num. IX. 13. ubi verba ita habent: *Omne ritum Pasche observabunt. Si autem quis mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit Ph. is., exterminabitur anima illa de populis suis. Quemadmodum ergo quando Job. III. 5. dicitur, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei, simul dicitur, regenerationem ex aqua & spiritu patefacere introitum ad regnum cœlorum: Sic quando hic dicitur, quasi cessaverit facere Pascha, vel Pascha, excidetur anima ipsius, simul innuitur, quod spiritualis implantatio in Deum per sacramentum paschale fuerit collata.*

3. Ex *testimonio Epistola ad Hebr.* quæ Cap. XI. 28. de Mose narrat, quod per fidem fecerit pascha, & sanguinis effusionem, ne ὄλοθρεύων, qui vastabat primogenita, tangeret Israelitas. Hinc tale necimus argumentum: si τὸ πάσχα, & agnus Paschalis immolatus est, & manducatus fide sc. salvificâ, de quâ in illo sanctorum catalogo sermo est, sequitur sanè, immolatione, & manducatione illâ oblatam & collatam piis fuisse remissionem peccatorum, & gratiam Dei. Ratio connexionis firma est, quia fides salvifica, & verbum promissionis Evangelicæ de gratia Dei, & remissione peccatorum habent sese ut relatam & correlatam. Atqui prius est verum. Ergo & posterius.



Vide hic *D. Walther. in Offic. Bibl. p. 815, seqq. & D. Dorsch. e. l. p. 57. seqq.* qui hoc thema late persequuntur.

§. 29. IV. Considerandæ sunt *Institutionis hujus demandata actiones*, quæ circa materiam sacramentalem sunt occupatæ. *Prima* harum est *sumptio*, sive *acceptio*, quæ infert simul separationem. Nam ita Deus in textu v. 3: *Decima die mensis hujus tollat unusquisq; agnum per familias, & domos suas.* Nimirum die decimâ mensis Nisan talis agnus sive hœdus debuit accipi, separari, & asservari usq; ad decimum quartum quasi in custodia, id est, per quatuor dies. Tradunt Rabbini, quod Hebræi ejusmodi agnos ad lectorum suorum spondas alligaverint, quò essent in conspectu omnium. Vide *Buxtorff. in Synag. Jud. cap. 12. p. 285.* Hujus verò asservationis quatuor causas ex Hebræorum scriptis affert *Paulus Fagius* in Not. ad Targ. Onkel, hujus loci. *Prima* fuit, inquit, ne forte negotiorum turbâ, quibus se ad profectionem preparabant, impediti, id oblivioni traderent. *Alterâ*, ut eò melius observarent, si forte defectus aliquis in agno esset, qui integer, & immaculatus esse debebat. *Tertiâ*, ut ex aspectu agni occasionem haberent inter se colloquendi, ac disputandi de redemptione suâ ex Ægypto, unde ex traditionibus Ebræorum refertur, istum agnum productum interea temporis, donec mactaretur, decimo quarto die in coenaculo, sive cubiculo ad sulcrum spondæ alligatum fuisse, ut omnium aspectui pateret, atq; ita ipsis de redemptione sua, adeoq; misericordia Dei, qui illos tam clementer inspexerat, inter se conferendi occasionem daret. *Quarta*, ut istâ ratione sese in tempore ad bonum opus persiciendum accingerent, & prepararent. Dicunt enim sapientes Ebræorum, non minus gratum esse Deo, si quis in tempore se bono operi agendo accingat, adeoq; animum, voluntatem, studiumq; ostendat, quàm ipsum opus: Unde apud eos hæc sententia vulgata est: *Qui strenuè se parat ad præceptum, seu bonum opus, perinde est, ac cum facit.* Hæc *Fagius*.

§. 30. An verò hæc actio in asservando agno, quatrinduo ante suscepta, perpetua fuerit, vel tantummodo tunc temporis in Ægypto adhibita, auctores non conveniunt. *Tostatus* ad *Exod. cap. XII. Riberi de Templ. l. V. c. 3.* *Pererius* in h. l. & alii tradunt, ceremoniam istam quatrinduanæ separationis, illo tantum Ægyptiaci exitus tempore, non autem quotannis postea observatam fuisse, quia 1. si excipias *cap. XII. Exod.* nusquam in scriptura quatrinduanæ separationis mentio fiat. 2. quia causæ, ob quas in primi sacramenti participatione segregatio instituta fuit, nequaquam deinceps urgeant.

§. 31.

§. 31. Aliis verò hæc non placent. Hinc sunt tam inter veteres, quàm recentiores, qui hanc actionem volunt esse perpetuam, & ordinariæ observationis. Ita Epiphanius *Heres. 50.* Chrysostomus *in Caten. Rupert. in cap. I. & XI. Job.* Anselmus *in cap. XXI. Matth.* Beda *Homil. Domin. Palmæ.* Lyra *in cap. XXI. Job.* Ex Recentioribus Cornel. à Lap. *in h. l. p. 418.* Tirinus *in h. l. p. 127.* Leonh. Marius *in h. l. p. 371.* Ex Notis D. Rungius *Comm. in h. l. p. 299.* D. Gerb. *part. 2. Harm. c. CLXIX. p. 1272.* aliiq̄, quorum sententia nobis quoq̄ videtur verifimilior. Nam Deus *Num. IX. 2.* pascha celebrari jubet *juxta omnes ritus suos, & ceremonias.* Falsum itaq̄ est, quod nusquam, excepto loco *Exod. XII.* hujus ritus fiat mentio. Etiam si enim hoc non explicitè factum fuerit, tamen implicitè, videlicet *l. cit.* Nec secunda objectio militat. Nam etiam si una ratio cessavit, hæc tamen altera, sc. typica. Omnes enim istæ actiones peculiaris passionum genera in Christo præfigurant, quod infra *sect. IV.* monstrabimus.

§. 32. Secunda actio circa materiam hujus sacramenti, est *maçtatio.* De hæc agit *v. 6.* his verbis: *Et servabitis eum usq̄ ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitq̄ eum universa multitudo filiorum Israel ad vespèram;* vel uti fontes Hebræi habent *בין הערבין* inter duas vespèras. Maçtatio hæc fiebat cultro acutissimo per jugulum animalis ducto, quos actus vocant abitum, & reditum. Conjunctam illa habuit excoriationem, & perpurgationem. Testatus putat, extracta fuisse intestina, & lota; Cajetanus verò solum evulsam fel, & viscera, quæ sordes continent, ejecta. Nulla fiebat alioquin partium ullarum resectio, non crurum, non capitis, nulla etiam in partes, & frustra dissectio, sed integra prorsus relinq̄uebantur omnia, vide *v. 46.* hujus Capituli, ubi verba ita habent: *Nec os illius confringetis.* Eadem repetitur *Num. IX. 12.* Hæc verò crurum conservatio, quomodo in typo fuerit impleta, infra *sect. IV.* sumus ostensuri.

§. 33. Circa actionem autem hanc aliquot circumstantiæ in textu occurrunt, quæ merito debent expendi. Harum 1. est tempus maçtationis, quod duplex annotatur, videlicet 1. *Decima quarta dies mensis Nisan,* & 2. *intervallum duarum vespèrarum.* De mense Nisan diximus supra §. 17. seq. Jam de tempore speciali aliquid est notandum. Nimirum dicitur in fonte (Vulgatus enim non rectè expressit) quod *בין הערבין* inter duas vespèras decimæ quartæ diei agnus debeat maçtari. Hæc verba aliquam involvunt dif-

ficulitatem. Non enim apparet, quomodo unus dies possit habere duas vespere. Sunt ergo i. qui putant, tempus inter duas vespere esse noctem, quæ inter vesperam diei decimæ quartæ, & inter crepusculum matutinum (quod dici potest vespera) diei decimæ quintæ interjecta est. Ita *Lipom.* apud *Cornel. à Lap.* in h. l. p. 480. Verum sic agnus non vespere, sed nocte, pertinente non ad decimam quartam, sed ad decimam quintam diem immolatus fuisset, quod repugnat S. Scripturæ. Deus enim h. l. expressis verbis mandat, ut agnus decimam quartam die mactetur.

§. 34. II. R. Nathan. R. Salomon, R. Levi, R. David. Kimchi, & Moses Gerundensis, item Lyranus, Tostatus & alii volunt, primam vesperam esse declinationem solis à meridie versus occasum, secundam esse ipsum solis occasum, & inter has duas immolatum fuisse agnum. Verum insolens est, totum tempus pomeridianum vocare vesperam. Nusquam enim Scriptura ita loquitur. Taceo, quod hæc ratione tantummodo tempus antemeridianum dies appellaretur, quod absurdum.

§. 35. III. R. Abenezra, Oleaster, Jacobus Faber Stapulensis & alii definiunt has vespere ita, quod prima sit solis occasus, secunda initium noctis, siue tenebrarum; inter has enim, dicunt, intercedere crepusculum aliquod temporis, quo lumen quoddam solis post ejus occasum in aère adhuc appareat, perinde ut sit mane ante solis ortum. Hanc sententiam amplectuntur quoque Judæi hodierni, & quotquot abhinc 400. annos ex ipsorum ordine scripserunt. Sed neque illa solida est, multo minus nobis probatur. Nam quomodo in hæc angustia temporis agnus cædi, mactari, exenterari, abluï, affari, & præparari potuit? Accedit, inquit Dn, D. Calovius Part. I. Bibl. Illustr. p. 397, quod in inclinatione Palestina sub elevatione poli 32. crepusculum exiguo duret tempore.

§. 36. IV. Commodissima est sententia Scaligeri de Emendat. Temp. p. 269. Schindleri in Lex. p. 1191. Casauboni Exercit XVI. advers. Baron. p. 347. D. Gerhardi Part. 2. Harm. c. 169. p. 1265. & aliorum, qui statuunt, quod tempus inter horam nonam, quæ respondet nostræ temporæ pomeridianæ, & horam undecimam, quæ respondet nostræ quintæ, interjectum, dictum fuerit duarum vesperarum, siue inter duas vespere. Congruit hæc sententia i. paraphrasæ Chaldaeo, qui agnum mactatum fuisse dicit *בין שני שמשות* inter duos soles, declinantem sc. & occidentem. 2. Explicationi traditæ Deut. XVI. 6:
im-

immolabis phase in vespera **ששון נרנן** circa ingredi solem, h. e. sole ad occasum declinante. Hoc enim non potest intelligi de ipso solis occasu, sed accipiendum est de declinatione solis ad occasum, quæ incipit horâ nonâ. 3. Antitypo per agnum paschalem præfigurato, i. Cor. V. 7. Jam verò Christus circa horam nonam tempore oblationis vespertinæ in cruce fuit mactatus, & mortuus. Ergo commodissime statuitur, quod eodem tempore typus hujus rei, agnus scilicet Paschalis fuerit mactatus. 4. Difertè quoque id docet Josephus, qui l. 8. de bell. Jud. c. 17. & l. XVI. Antiq. c. 10, Hebræos immolare solere paschales hostias ab horâ nonâ usque ad undecimam. Nona autem, uti diximus, respondet nostræ tertiæ pomeridianæ, ita ut tempus hoc circiter duas horas contineret ante solis occasum, quo tempore agnus immolabatur, & affabatur, post occasum verò solis cum jam inciperet decima quinta dies (dies enim apud Judæos Ecclesiasticè sumptus, uti mox dicemus, vespere terminabatur, & incipiebat; ab occasu enim ad occasum solis diei spatium dicto modo describere solebant) comedebatur, (vide v. 8, cap. XII.) ita ut ante mediam noctem esus agni, & cæna omnis absolveretur.

Dicitur: Levit XXIII. 6. Lex præcipit, ut die decimâ quintâ mensis primi solemnitas azymorum sit celebranda. Ergo hanc decimâ quartâ id fieri debuit.

R. Hebræi duplici modo dies numerare consueverunt, Ecclesiasticè scilicet & politicè. Secundum computationem Ecclesiasticam, & dispositionem legis divinæ in celebratione festorum observandam, dies festos incipiebant à vespera Levit. XXIII. 32, sed juxta computationem civilem in vita communi observari solitam, dies naturalis incipiebat à mediâ nocte, ut sic vespera esset pars & clausula diei præcedentis, cum juxta priorem, sive Ecclesiasticam Computationem esset pars & initium diei sequentis. Quatenus igitur vespera feriæ quintæ juxta civilem Computationem referebatur ad diem præcedentem, cui clausulam addebat, eatenus feria quinta, in quam illo anno dies 14. mensis Nisan, ac proinde etiam dies paschatis incidebat, vocabatur primus dies azymorum, quatenus verò eadem vespera feriæ quintæ juxta Ecclesiasticam Computationem referebatur ad diem sequentem, cui initium præbebat, eatenus feria sexta, in quam illo anno dies 15. mensis Nisan incidebat, dicebatur primus dies azymorum. Vide hinc D. Gerb. Part. 2. Harm. cap. CLXIX. p. 1123, & Cornel. à Lap. in Evangel. p. 475.

§. 37. Hæc autem temporis designatio occasionem dedit difficultati, quæ oritur ex historia celebrati paschatis ultimi à Domino nostro cum discipulis suis, de quâ inter eruditos magna agitata fuit controversia. Sunt enim I. qui statuunt, Christum tempus in lege præscriptum non observasse, sed anticipasse, & non 14. sed 13. die mensis Nisan Pascha celebrasse. Hanc opinionem amplectuntur multi ex Græcis Doctoribus, ut *Origenes Tract. 35. in Matth. Epiphanius heres. 51, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius in cap. 18, Joh. Cedrenus, p. 144, Nicephorus l. 1. Histor. Eccles. Cap. 28. p. 80.* Eidem arctissimè inhærent Græci recentiores, ut obtineant, non in ἀζύμοσ azymo, sed ἐψύμοσ fermentato pane Eucharistiam à Christo Salvatore fuisse institutam, & celebratam, quia azymorum usus cum paschate legali initium sumserit. Sed hæc opinio meritò ab aliis rejicitur, & imprimis à *Gennadio, & Humberto* impugnatur, quorum argumenta adducit *Casaubonus sit. Exercit. XVI. contra Baron. p. 349.* Neque ullâ verisimilitudine asseritur, Jesum Christum, qui legem divinam exactissimè observavit, hæc in re illam neglexisse. Etiam si verò Christus fuerit Dominus legis, *Matth. XII. 8.* quod ipsi urgent, attamen propter nos, & nostram salutem seipsum legi spontè subjecit, & in omnibus voluntatem Patris sui cœlestis perfectè implevit, *Gal. IV. 4 & 5.* Deinde scriptura clarè indicat, quod Christus Eucharistiam celebraverit in diebus τῶν ἀζύμων post esum agni paschalis, *Matth. XXVI. 17,* quo tempore non alius panis, quàm ἀζύμοσ apud Judæos in usu erat, *Exod. XII. 8, Levit. XXIII. 7.* Nullo igitur firmo, & solido argumento hæc sententia urgeri potest.

II. Sunt contra, qui putant, Christum & Judæos uno & eodem tempore paschalem agnum comedisse, & diem festum paschatis celebrasse. Hanc sententiam *Thomas* tribuit *Alcuino*, illamque multi ex Pontificiis, Lutheranis, & Calvinianis sequuntur. Ex pontificiis, *Gerson, Toletus, Baronius, Barradius, Bellarmin. Suarez, Ribera, Cornel. à Lapid. in cap. XXVI. Matth. p. 475.* qui plures adhuc ibidem citat. Ex Lutheranis imprimis *D. Brochmann, Tom. 2. System. p. 1098.* Ex Calvinianis, *Rivetus in Exod. cap. XII. p. 289. Johann. Christiani in spec. Harm. p. 29. Beza, in Not. ad cap. XXVI. Matth.*

III. Non

III. Non pauciores, imo plures asserunt, Christum non eodem die, sed uno ante Judæos Pascha celebrasse; in quâ sententia sunt *Rupertus in Cap. XXVI. Matth. Burgensis, Onuphrius Panvinius l. 2. Fest.* Horum sententiam approbant, & sequuntur *Maldonatus Comment. ad Cap. XXVI. Matth. p. 536, seqq. Jansenius in Concord. C. 128, Salmeron. Tom. IX. Tractat. 4, aliique.* Ex Lutheranis *D. Chemnitius part. 2. Exam. Concil. Trid. p. 198. D. Hunnius, D. Andr. Osiander in Harmon. D. Gerhard. Tom. IV. LL. p. 550. & part. 2. Harm. Cap. 166. p. 1085, D. Friedlieb in Medull. Theol. p. 882. D. Calovius ad Bibl. Illustrat. super N. T. part. 1. p. 430, aliique;* Ex Calvinianis *Piscator ad Cap. XXVI. Matth. p. 270. Pareus Comment. in Matth. p. 671, Aretius Comm. in Evangel. p. 157. Marloratus in Matth., p. 173. Casaubonus advers. Baron. Exercit. XVI. p. 349, aliique.* Hæc sententia nobis quoque probatur. Nam Judæi ex traditione Majorum festum paschatis, quotiescunque incidebat in feriam sextam, quemadmodum tunc evenit, rejecerunt in diem sequentem sabbatum. Hinc laudatus *Rupertus ad C. XXVI. Matth.* commemorat, *Judæos ex traditione Patrum nunquam duo festa, in quibus nihil operis facere præceptum fuit, continue celebrare solitos, quod difficile esset mortuorum corpora, aut cocta olera in tertium usque diem servare in regione calida, atque ob id paschæ festivitatem, quotiescunque inciderit in feriam sextam, quemadmodum evenit eodem tempore, quo Dominus est passus, distulisse in diem sequentem, sabbatum scilicet, ideo Johannem dixisse Cap. 19. v. 31. quod magnus fuerit dies ille, sabbatum nimirum, quia in eo & paschæ & sabbathi Celebritas juxta observationem Judæorum conveniret.* Vide *Paulum Burgensem in Annotat. adjunctis Comment. Lyræ,* ubi prolixè hanc rem persequitur. Quia itaque traditio hæc legi divinæ fuit contraria, ideo Christus tempore legitimo, divinitus constituto pascha cum discipulis celebrare voluit. Hinc dicit *Matth. XXVI. 18: Tempus meum prope est, ut faciam pascha cum discipulis.* Quasi dicat: Quicquid alii, traditiones secuti, de tempore Paschatis statuunt, mihi convenit legem Patris sequi.

§. 38. Videamus autem nonnulla, quæ contrariæ sententiæ Patroni opponunt. 1. *Rivetus ad Exod. Cap. XII. p. 269.* objicit, *verba Christi innuere, quod eâdem die cum Judæis Pascha comederit, quando ad illos Matth. 26, 2. ita dixerit: Scitis, quod post biduum pascha fiet.* Christum ergo hæc non tantum de Paschate à se celebrando voluisse intelligi, sed de communi. Cum autem ipse post illud biduum Pascha celebraverit, hinc sequi, eâdem die ipsum quoque comedisse agnum, quo reliqui, Resp. Non sequitur. Chri-

D

stus



Itus enim loquitur hinc ad discipulos suos, quos de vero tempore paschatis jam informaverat. Ideo rectè dicit, *Scitis*, (sc. ex meâ informatione) *quod post biduum erit pascha*. Salvator itaque mandatorum divinatorum fuit tenacissimus.

§. 39. II. *Joh. Christiani in spec. Harmon. p. 77.* hæc opponit: *Non potuit maectari agnus extra templum Hierosolymitanum. In templo maectari non potuit citra generalem populi consensum. Quare nec dies maectationis potuit anticipari, qui lege Exod: XII. præfinitus erat decimus quartus Nisan.*

§. 40. R. Falsam esse hanc sententiam, monstravimus supra §. 5. Nam agnus paschalis maectatus fuit haut à sacerdotibus in templo, uti cum nonnullis contendit *Hacspan. Part. 1. Not. Phil. p. 336*; sed à patribus familiaribus, quibus non licitum erat in templo maectare, ut alias taceamus rationes. Adde, quod ipse Salvator in privatis ædibus agnum paschalem comederit, ut ex historia Evangelicâ constat.

§. 41. *Dicis*; si Christus uno die prius, quàm Judæi, celebravit Pascha, quâ factum, ut Judæi, qui etiam falsum testimonium quæriverunt contra Christum, accusationem hanc prætermiserint, quàm certè speciosè urge-re potuissent?

R. Non publicè in templo, sed domi apud quendam Patremfamilias Christus celebravit pascha, uti notum; igitur paterfamilias, & ejus domestici una cum discipulis Christi concilii fuerunt anticipati temporis in paschatis celebratione, nec dubium, quin Christus causam illis exposuerit, propter quam neglectis Judæorum traditionibus tempore divinitus in lege præscripto Pascha manducet. Quod si omnino Judas principibus Sacerdotum, scribis, & Pharisæis hoc Christi factum manifestavit, illi tamen non ausi fuerunt publicè hoc nomine Christum accusare. Metuendum enim erat, ne iterum audirent, quod in simili negotio ex ipso audierant, *Matth. XV. 3: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras!* Adde, quod verisimile sit, in tot sectis, & dissensionibus populi diversitatem quandam in paschatis die apud Judæos occurrisse, quibusdam legis præscriptum, quibusdam verò traditiones Majorum sequentibus, ut etiam hanc ob causam non fuerint ausi Christo ullum crimen intendere. Vide hinc *D. Gerh. Tom. IV. LL. p. 552, Et Casaubon. c. l. p. 349.* Reliquas objectiones & dubia, quæ hinc moveri solent, diluit laudatus *D. Gerhard. Part. 2. Harmon. Contin. p. 1078, seqq. & Maldonatus Comment. in Matth. p. 539. seqq.*

§. 42. *Alia*

§. 42. Alia verò adhuc *questio fuit de die Paschatis in N. Testam.* quæ currente seculo secundo magno fervore agitata fuit. Ansam huic dedit panis fermentatus. Nam Ecclesia Græca, sive orientalis traditionem rituales Johannis Apostoli, & morem hæctenus receptum prætendens, festum Paschatis die decimâ quartâ, vel in ipso plenilunio mensis primi cum Judæis celebrabat, & dicebat, Christum prævenisse uno die celebrationem agni paschalis, cum sit Dominus legis; Hinc porro collegerunt, eum usum fuisse pane fermentato in institutione Eucharistiæ, quia secundum eos, dies azymorum nondum advenerat, quando ille celebravit Pascha, cum discipulis suis. Ex hæc hypothese porro concluderunt, panem fermentatum vi institutionis Christi nos necessariò debere adhibere. Occidentalis verò vel latina hanc anticipationem negans, ac ne quid cum Judæis impiis commune haberet, & simul Pascha *σαυρώσιμον*, & *ἀναστάσιμον* distingueret, die dominicâ plenilunium sequente, in memoriam resurrectionis Dominicæ hoc festum celebravit, & in S. Cœnâ panem azymum adhibuit. Græcorum autem sententia manifestò refellitur. Nam *Matthæus, Marcus, & Lucas* disertis verbis scribunt, eum diem, quo Christus agnum comedit, primum diem azymorum fuisse. Quare Christus non potuit contra legem fermentato uti pane. Hæc re autem nullam necessitatē nobis imposuit, ut panem azymū adhibeamus. Est enim res indifferens. Sive ergo quis pane fermentato in S. Cœna utatur, sive azymo, non peccat, modo alterutrius observatio absq; opinione necessitatis, citra omnē superstitionem teneatur, & non improbentur alii, qui diversum observant. Meritò ergo hîc culpamus Calvinianos, quod abrogato pane azymo, quem ipse Christus usurpavit, non sine multorum offendiculo, tanquam necessariū introduxerunt fermentatum, nostrasq; Ecclesias condemnant, quæ liberè pane azymo utuntur. Vide hîc omnino *D. Affelmann, Part. 2. syntagm. p. 186, seqq.*

§. 43. Quod verò de tempore festi paschatis antea diximus, sciendum est, quod hæc controversia gliscuerit usq; ad tempora *Concilii Nicæni*, ubi pro ritu occidentalium fuit pronunciatum. Qui verò ex Orientalibus denuo contradixerunt, & ritui hæctenus observato tenacissimè inhæserunt, quartadecimani (non quidem hæretici) sed schismatici appellati fuere. Decretum Concilii Nicæni constanter huc usq; in Ecclesiis Orientalibus, & Occidentalibus fuit observatum, nisi quod Calendarii mutatio superiori seculo à Pontifice Romano suscepta turbas iterum dederit, & paschatis festum, ut & alia à consuetâ sede dimoverit.



§. 44. II. Circa actionem mactationis contemplandi etiam essent ipsi mactatores, ut & locus mactationis; sed quia supra §. 5. hac de re egimus, igitur actum agere nolumus.

§. 45. Ritus autem quidam, quos circa hanc mactationem adhibuerunt, observandi sunt. Nimirum agnum mactatum in duo separarunt mox usurpanda, videlicet in sanguinem, & Corpus. Sanguinem utriusque januæ post, & superliminari domus, in quâ edendus erat agnus, illinebant, v. 7; aspergillum autem fecerunt ex hyssopo, alii volunt ex rore-marino, quo consperferunt postes.

§. 46. Queritur autem hic, *An ritus ille, sanguine illinendi, & conspergendi postes ad primum duntaxat pascha in Ægypto celebratum, an verò ad reliqua etiam subsequencia pertinuerit?* Tostatus, Franc. Junius, & Tremell. cum aliis quibusdam temporarium, & ultra Ægyptum nequaquam servatum fuisse putant, quia in repetitione Paschatis instituti *Levit. XXIII. & Num. IIX.* nulla ejus fiat mentio, & ratio ritus cessaverit, quæ est, indicare transeunti Angelo domos Judaicas.

Lactantius verò l. IV. Instit. c. 26. & alii rectius statuunt, asperfusionem, five illitionem illam non minus esse actum sacramentalem, quam manducationem carniæ agni, cum post præceptum illinendi jungatur mandatum de perpetuitate ritus v. 24: *Observabitis rem istam pro statuto in seculum;* Et *Num. IX. 3.* pascha celebrari *juxta omnes ritus suos, & juxta omnes ceremonias suas* jubetur, cum primis, quia sanguinis illius illitio fuit etiam figura sanguinis Christi in Eucharistia cum vino exhibendi. Ex veteribus idem sentiunt *Leo M. Sermon. 2. de Pass. Dom. Gregor. M. Homil. XXII. in Evangel. Beda in Cap. XXII. Luc. & ex illo Anselmus in Cap. XXVI. Matth.* Rectè quoque hæc de re *D. Gerh. Tom. IV. LL. p. 547: Sunt, inquit, qui statuerunt, ceremoniam illam de postibus, & superliminari sanguine aspergendis ad primi paschatis celebrationem atque unicam illam noctem, quâ egressus est ex Ægypto populus, tantum pertinuisse, neque in anniversaria paschatis solemnitate fuisse iteratam. Sed cum illa asperfusio non minus sit actus Sacramentalis, quam manducatio carniæ agni, cum post præceptum de illitione sanguinis immediate sequatur v. 24: Observabitis rem istam pro statuto in seculum, &c. confer Num. IX. 3. præsertim verò cum sit illustris figura sanguinis Christi in Eucharistia cum vino bibendi, una cum corpore Christi cum pane benedicto manducando, ideo verisimilius est, eam quotannis unâ cum reliquis ceremoniis fuisse iteratam.*

§. 47. Observandum verò h. l. est, quod Ægyptii, aliique ethnici hunc

hunc morem æmulati fuerint, & non tantum cum rubrica oves, arbores, & alia illeverint, sed & passim cruces ad depellenda mala adhibuerint. Testatur hoc imprimis Epiphanius, qui Hæres. 18. f. 81. ita scribit: *Ægyptii memores illius diei, quando pascha illic fiebat, rubricam accipiunt per ignorantiam, & illinunt oves, arbores, ficus, & alia, dicentes, quod ignis aliquando in hoc die combusserit orbem terrarum.* Crucis quoque character præcipuum ipsis fuit phylacterium, cujusque virtute dæmones in idola compingebant ad responsa danda, atque adeo Serapidis quoque fronti, & pectori insculpebant, teste Kirchero, in *Oedip. Ægypt. Obel. Pamph. p. 328.* Pluribus hæc de re egimus in *Exercit. Sacr. de Æneo serp. disp. 2. §. 27. seq.*

§. 48. Tertia actio circa agnum paschalem fuit *assatio*. Hæc enim expressè in textu præcipitur v. 8: *Et edent carnes nocte illâ assas igni, v. 9.; Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, sed assum tantum igni.* Pro *crudum* in Hebr. est ~~כֶּסֶל~~, quod iudice R. D. Kimchi significat non omnino coctum, sed femicoctum, semicrudum. LXX. reddiderunt *ἀμὸν, crudum.* Deus ergo vult, ut *assatio* illa sit perfecta, non femicruda.

§. 49. *Dicis*: *Assationi* huic obstare videtur, quod *Deut. XVI. 6.* Deus agnum paschalem *coqui* jubeat.

R. *Coqvendi* verbum in latiori significato hîc sumitur, ita ut pro *assari* exponi debeat. Vide *D. Walth. in Harm. S. p. 172.*

§. 50. De *assandi* modo multa fabulantur Thalmudistæ & illud inter alia, ne veru ferreo fiat, quia ferrum calefactum vim *assandi* habeat, sed in ligneo, præsertim, quod esset ex malo granato. Sic extat in præceptis Thalmudicis 350, & 351. *Justin.* quoque in *dial. cum Tryph.* ait, agnum in crucis formâ expansum, *assatum* fuisse, ita ut paxillus rectus ab imo usque ad caput trajiceretur, alter transversus armos agni distenderet, quæ res mysterio non caruit.

§. 51. Causæ autem quare Deus agnum *assari* voluerit, potius quàm *elixari*, hæc afferuntur; 1. ut migrationis celeritas ex Ægypto significaretur, quia celerius *assatur* caro, quàm *elixatur*; 2. quia *assatio* est simplicissimus carnes *coqvendi* modus, dum sine ullo alieni saporis condimento *coqui* solet, quæ etiam causa videtur esse, cur in Evangelio mentio fiat piscium in usu Domini, & discipulorum, *assatorum* potius, quàm *elixorum*, ob majorem sc. facilitatem, & parandi promptitudinem 3. quod is modus omnium apud mortales sit antiquissimus; 4. potissima tamen causa fuit ceremonialis, & typica, quia nimirum *assatio*, quæ igne fit, notabat

flammam tum amoris Christi erga homines, tum iræ Dei contra peccata. De hæc re infra plura.

§. 52. Dum autem carnem assam Deus comedi jubet, tunc ab eâ cum Judæis hodiernis minimè excipiendi sunt nervi, & cartilagine. Nusquam enim tam angustè illud nomen accipitur, cum de esu carniū agitur, sed potius carnis mentio fit ad distinctionem ossium, de quibus speciale etiam mandatum dedit Deus in hoc textu, ne scilicet confringantur. Probabile quoque omnino est, quod in ceremonia, quæ perpetuæ festinationis continet symbola, operosa separatio nervorum, & cartilaginum à carne non fuerit imperata.

§. 53. *Quarta actio* circa agnum paschalem est *Comestio*. Non reponebatur agnus assatus, sed comedebatur. Causæ erant, quia 1. festini summo mane discedere debebant; hinc ne in istius reliquiis colligendis, & convasandis moras necerent, comedi, & quod supererat, igne absumi debebat; 2. quia sacramenta consistunt in actione, qualis etiam erat comestio. Extra comestionem itaque reliquæ actiones non habuissent complementum sacramentale. Ex eadem ratione nec antitypus, sacramentum sc. S. Cœnæ suum habet complementum, antequam accedat manducatio, & bibitio.

§. 54. Hæc res simul utilem observationem nobis suppeditat. Nā sicut comestio agni paschalis olim ita debebat institui, ut nihil relinqueretur in crastinum residuum, sed aut totum comedendum, aut quod supererat, igne absumendum fuit: Ita exinde admonemur, ut in usu S. Cœnæ nihil residuum asservemus, & postmodum cultûs gratiâ circumgestemus. Hoc in primis observavit vetus Ecclesia. Hinc *Clemens Romanus Epist. 2. quæ citatur in Jure Canon. C. trib. gradibus dist. 2. de Consecr. ita scribit: Tanta in altari certè holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant, quod si remanserint, non reserventur in crastinum, sed cum timore & tremore clericorum diligentia consumantur.* Similia habet *Origenes in Levit. c. 7. homil. 5. f. 70. Cyprian. de Cœnâ Dom. f. 453, Hieron. ad Cap. XI. 1. Cor. Tom. IX. f. 316, aliiqve plures.*

§. 55. Male itaque faciunt Pontificii, quando de hoc sacramento hostias asservant, circumgestant & adorant. Nihil horum in comestione agni paschalis observare licet. Sacramentum itaque hoc consistit in actione, videlicet in comestione, & bibitione. Extra hanc actionem, sacramentum non est, nec illius rationem habet. Agnovit hoc ex Pontificiis, præter alios *Georg. Cassander in Consult. de Aug. Conf. Artic. de S. Cœ.*

S. Coena p. 71. ubi ita scribit: *Hoc Sacramentum, ut reliqua Sacramenta in ipso usu, & actione (quae est sumptio, seu manducatio, & potio) perficitur. Hoc idem à Theologis quibusdam scholasticis asseritur, atque hanc ratione à veteribus quoque hoc sacramentum nominibus actionem significantibus appellatur, ut sunt Synaxis, communicatio, perceptio corporis & sanguinis Domini. Hæc Cassander. Plures ex Pontificiis adducit D. Gerhard, Tom. III. Conf. Cathol. p. 1026.*

§. 56. Observandum porro, quod circa hanc manducationem etiam præcipiantur esculenta alia, videlicet infermentata. Haut enim Deus voluit, ut carnes sine pane comederent. Hinc præcepit, ut panes azymos adhiberent. Infermentata ista, sive azyma panem verum esse, negarunt olim Michael Constantinopolitanus, & Nicetas apud Centuriatores Magdeb. Cens. XI. cap. 26. & Euthymius in cap. 26. Matth. apud Baron. Tom. XI. Annal. Sed hæc sententia planè est absurda. Orbicas nostras placentas, quas vetustissimo more adhuc sacrum epulum consecramus, rident Calviniani. Egimus hæc de re in *Vindiciis nostris Hutterian. disp. XXX. p. 535, seqq.*

§. 56. Pani azymo adjungebantur etiam amara. Præcepit enim Deus, ut agnum comederent cum infermentato, & *על מרירות* cum amaritudinibus. A Chaldæo paraphraste, & omnibus pene interpretibus veteribus, & recentioribus supplentur, herbae. Cum enim res multæ sint amaræ, hinc non de quibuslibet, sed de iis sumebantur, quæ ad acetaria commodè poterant usurpari, ex analogia aliorum conviviorum, LXX. *Interpp.* herbæ speciem definiverunt, vertentes *επι τινιδων*, ex quibus Vulgatus, *lactucas agrestes*, B. Lutherus, *bittere falsen*. Esse autem hujus speciei quasdam amariores, docent Botanici, & experientia comprobat. Maximè autem probabile est, acetaria fuisse apposita ex talibus herbis. Judæi adhuc hodierno die in celebratione paschatis ejusmodi herbas amaras cum placentâ quâdam apponere solent, quâ de re vide *Buxtorff. in Synag. Jud. c. 13. p. 300.*

§. 58. Quæritur autem hinc, *An post agni Comestionem ejusmodi acetaria apposita fuerint?* Quæstioni occasionem dedit mos Judæorum, quæ Scaliger refert de *Emend. Temp. l. 6. p. 535.* Docet ibi, Judæos in paschali epulo ab omni genere bellariorum ex interdicto abstinuisse, & in locum bellariorum allatum fuisse in tryblio acetarium ex intybis, & lactucis agrestibus, quorum quia tristis succus, & amarus, propterea ex aceto & aliis embamma fuisse confectum, in quod azyma, & amara illa olera intincta fuerint; Id appellasse Judæos *מרירות*, id est, *saporem acrem*
Addit

Addit autem ibidem *Scaliger*, post paschatis esum adhibitum fuisse epichomen, id est bellaria illa, quæ patrio nomine Kinnuah vocata fuerint. Vult ergo *Scaliger*, acetaria illa non simul cum esu paschalis epuli fuisse sumpta. Hæc sententia nobis non videtur verisimilis. Nam ex textu nostro nihil aliud colligi potest, quam Deum iussisse, eodem modo, & eodem tempore amara & azyma comedi debere. Fieri quidem potuit, ut Judæi subsequentibus temporibus aliter diviserint, id tamen, uti diximus, in primâ institutione non fuit mandatum.

§. 59. Quæritur deinde, quenam causa fuerit, quod Deus amara illa simul edi præceperit? Omnium ferè sententia est, eaqve vera, id factum fuisse, ut acerbitatis, quam in Ægyptiacâ servitute perpessi fuerant Israelitæ, memoriam anniversario isto amarore conservarent, atqve ita excitarentur ad gratias Deo agendas.

§. 60. Circa hanc comestionem etiam circumstantiæ quædam ipsis simul observandæ præscriptæ erant, quas breviter quoque ponderabimus. Nimirum comedentes 1. debebant esse *adultiores*; 2. *circumcisi*; 3. *renibus accincti*; 4. *calceati*. 5. *baculum in manu gestantes*. 6. *festinantes*. Præcipiuntur hæc v. 11: *Comeditis eum lumbis vestris succinctis, calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculum in manibus, & comeditis festinantes.* 1. de *etate* quidem in textu expressè non constat. Colligimus tamen inde haud obscurè, parvulos agnum paschalem non comedisse, imo nec edere debuisse. Observare hoc licet ex *Exod.* XII. 26. 27. ubi præscribitur Israelitis, quid respondere debeant filiis suis, quando videant parentes, & adultiores edere pascha. Si enim ipsi simul comedissent, necessum erat, ut antea fuissent instituti, & sic parentes haud necesse habuissent illos informare, quando adultos, comedentes pascha conspexerunt. Agnoscit hoc ex Pontificiis *Serarius* in *Jos.* p. 457. ubi dicit, *neminem eo præcepto fuisse obligatum, nisi in quo edendi esset facultas naturalis.* Nos addimus: *Et facultas edendi cum judicio, & discretionem.* Affirmant autem nonnulli, parvulos simul edisse agnum paschalem, nimirum illi, qui contendunt, Eucharistiam etiam infantibus, & iudicio discretionis nondum præditis pueris exhibendam esse. Tales ex antiquis fuerunt *Dionysius, Cyprianus, Augustinus, Innocentius*, & alii nonnulli, quem morem nos meritò improbamus. Vide hic *D. Gerhard.* *Tom. V. LL. Cap. 21. p. 490.*

2. Quod *circumcisi* agnum paschalem comedere debuerint, non verò incircumcisi, patet ex *Exod.* VII, 43. ubi verba ita habent: *Omnis alienigena non comedet ex eo. v. 44: Omnem servum hominis emptum argento, cir-*

et, circumcides, tunc comedet ex eo. Ubi tamen nota, quod foemellæ ab hoc Sacramento exclusæ non fuerint, etiamsi non fuerint circumcisæ. Nam v. 6. nostri textus Deus mandat, ut *universa congregatio cœtus Israel agnum paschalem immolare debeat.* Admissi ergo fuere ad hoc sacramentum omnes Israelitæ, tam foeminae, quam mares, quâ in parte diversitas quædam intercedit huic sacramento cum circumcissione, quia circumcissionem soli masculi in carne suâ recipiebant, sed ad agnum paschalem omnes tam foeminae, quam masculi (si tamen circumcisi fuerint) admittebantur.

3. *Renibus accincti.* Orientales togis, adeoque circumfluis vestibus utebantur, unde ad expeditionem, & iter accingebantur, & vestes colligebant. Hinc natæ formulæ loquendi: itineri se accingere, esse in procinctu. Ex illo more deductum est hoc mandatum, quo moniti sunt, ut se pararent ad iter faciendum. Errorem, quem Pontificii ex hâc renum accinctione incrustare volunt, infra sectione seq. monstrabimus.

4. *Calceati.* Id etiam habetur in textu. Colligimus autem hinc, morem fuisse exuere ad Cœnam calceamenta, quia sigillatim hinc præcipitur calceorum indumentum, Veteres, qui in stratis discumbere ad convivium solebant, non sedere, ne strata inquinarent, sed exuere calceos, & lavare pedes solebant. Verum quia incertum, an etiam tunc discumbendi mos fuerit in usu, cum ex *Gen. XLIII. 33.* nō obscure pateat, sedere ad mensam solitos tam Ægyptios, quam Ebræos, videtur potius moris habita ratio, quod calceatis maximè pedibus Veteres esse solebant, dum in iter aliquod se dabant, aut in asperis, sentosis, vel calidis, nimium, aut frigidis locis hærebant.

5. Quod de *baculo* additur, totum ad illius temporis viatores accommodatur. Haut enim hastas, vel enses, sed baculos tantummodo gestare soliti sunt. Sic *Genes. XXXII. 10.* Jacob cum baculo transivit Jordanem: *Genes. XXXVIII. 18.* Judas cum baculo peregre proficiscebatur. Erat etiam baculus opilionibus familiaris, quales se profitebantur omnes Israelitæ, *Genes. XLVI. II.*

6. *Festinantes* quoque debuerunt comedere. Hæc circumstantia aliarum omnium fines videtur interpretari. Nam omnes festinationem indicabant, eratque viatorum iter longum, & laboriosum.

§. 61. Ex dictis etiam colligitur, stantes comedisse Israelitas. Non enim credibile est, in lecto jacuisse, qui lumbis præcincti, & ad iter expediti, qui calceis instructi, & baculos in manibus habere debebāt. Rectè hinc *Cornel. à Lapid. in h. l. p. 424: Quorsū baculos tenētes manibus, succincti lumbos, & calceati,*

E

si non



si non ad iter expediti stabant? Huc sanè alluisse, vel potius allegoricum hujus loci sensum dedisse videtur Apostolus Eph. VI. 14. cum ait: State succincti lumbos vestros in veritate, & calceati pedes in præparationem Evangelii pacis.

§. 62. *Dicis*: Matth. XXVI. 20. Christus celebrans pascha discubuisse dicitur, ergo non stetit. Christus autem ceremonias, & ritus primæ institutionis accuratè observavit.

R. Verum est quod Christus ceremonias primæ institutionis perfectè servaverit, adeò ut non immeritò *Chrysostomus*, citante *Maldonato Comm. in Matth. p. 560.* ita scripserit: *Credendum est, Christum legis ceremonias perfectissimè servasse, maximèq; hanc ipsam, ut stans paschalem agnum ederet, cum sicut olim stantes illum Judæi comederunt, quia transitus Domini erat; ita nunc ipse ex hoc mundo transiturus esset; Interim tamen huic sententiæ non obstat, quod Christus celebrans pascha, discubuisse dicitur. Nam vetustiores Hebræi non accubuerunt, sed federunt, quod paulo ante ex Gen. XLIII. probatum dedimus. Etiam si verò fortassis postmodum hic mos fuerit introductus, tamen non fuit perpetuus. Nam factum fuit, ut mutatâ accumbendi consuetudine nomen retineretur, ita ut si quis ad mensam accesserit, sive federit, sive steterit, accubuisse dicatur. Omnino ergo nobis placent, quæ *Maldonatus c. 1.* scribit: *Etiā nunc hodie, inquit, latinè mensa accumbere dicimur, cum tamen sedeamus. Evangelista igitur, etsi verbum recumbendi de medio sumptum usurparunt, noluerunt significare, Christum revera recubuisse, sed ad mensam accessisse, atque cœnasse. Neque mos accumbendi apud Romanos, & alios populos ab omnibus fuit observatus. Hannibalem, enim, Tiberium, Catonem, aliosque sedentes cœnasse, tradit *Stuckius l. 2. Antiqu. Conviv. cap. 34. p. 269.* Alios populos idem fecisse, tradit ibidem p. 272.**

§. 63. *Dicis*: isti ritus non fuerunt perpetui, sed in primo tantum paschate observati, hinc nec Christus illos adhibuit. Resp. Falsum hoc est. Nam Deus expressè mandavit Num. IX. 31. ut pascha celebraretur juxta omnes ritus: vide supra §. 29. & 44.

SECTIO SECUNDA,

Sistens

Textus hujus Corruptelas, & varias depravationes.

§. 64. Tex-

§. 64. Textui huic clarissimo varias offundunt nebulas non pauci hæretici, illumque ad varios errores palliandos detorquent. Nos potiores annotabimus. Faciunt autem hoc

I. Pontificii.

§. 65. Illi ex h. l. probare volunt, celebrationem Eucharistiæ esse sacrificium, vel immolationem victimæ, Deo oblatae, quia celebratio agni paschalis immolatio quædam victimæ Deo oblatae fuerit; hanc enim illius fuisse figuram; Ita *l. Bellarm. 1. de Miss. c. 7. p. 965. Cornel. à Lap. in Pentat. p. 420. aliique.*

2. Iidem ex h. l. argumentum pro communione sub una desumere tentant. Hinc *Bellarmin. l. IV. de sacram. Euchar. c. 24. p. 884. disputat, non esse ullo modo probabile, Christum manducationem utriusque speciei in S. Cœnâ imperasse, cum agnus paschalis fuerit hujus figura, & manducationem sub unâ specie significaverit; figuratum autem figuræ respondere debere.*

3. Iidem exinde adorationem crucis demonstrare, & probare allaborant. Facit hoc imprimis *Bellarminus*. Hinc *Tom. II. l. 2. de Militant. Eccles. c. 29. p. 1022. ita scribit: Quod signum crucis sit signum sacrum, & venerabile, ostendi potest 1. ex figuris Testamenti veteris. Nam sanguis agni in postibus domorum Exod. 12. nihil aliud significabat, nisi signum crucis in frontibus Christianorum, Augustino teste in libr. de Catechizandis rudibus c. 20.*

4. Cœlibatum quoque Clericorum ex præsentiloco astruere volunt. Sic enim *Bellarmin. Tom. 2. l. 1. de Cler. c. 19. p. 350: Præterea in V. Testamento Continentiam ab uxoribus videmus imprimis fuisse requisitam in iis, qui Deo propinquaturi, vel rem aliquam sanctam tractaturi erant. Nam Exod. 12. præcipitur, ut Comesturi agnum paschalem renes suos accingerent, quo significabatur, ut Gregorius exponit, Homil. 22. supr. Evangel. debere eos carnis voluptates edomare, qui agnum paschalem comedunt.*

5. S. Cœnâ semel tantummodo in anno, & quidem in festo Paschatis utendum esse, contendunt iidem, quia in V. T. semel tantummodo agnum paschalem comederint. Hinc in *Concil Trid. Sess. XIII. de Vsu Sacram. Cœn. Can. IX. ita pronunciant: Si quis negaverit, omnes, & singulos Christi fideles utriusque sexus cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum S. matris Ecclesie, anathema sit.*

II. Calviniani.

§. 66. 1. *Beza* part. 2. quæst. & Resp. qv. 242. negat, *Eucharistiam privatim etiam aegrotis in ipsorum adibus administrari debere*, quia *agnus paschalis mactatus fuerit in conventu Israelitico*; Jam verò, *agnum paschalem figuram extitisse Eucharistia.*

2. *Zwinglius* in subsid. de Euchar. p. 249. ostensurus copulam EST in verbis Cœnæ: *Hoc est corpus meum*, valere idem, quod significat, scribit; à monitore nocturno sibi hoc exemplum: *Agnus est phase, suggestū esse, in quo copula est, idem valeat, quod significat, ut sensus sit, agnus est figura Phase.*

3. *Thomas Erastus*, Medicus Heidelbergensis, (cui in Epitaphio apud *Melchior. Adami* in Vit. Medicor. p. 244. hoc elogium datur, quod fuerit *elegans Medicus, & sincerus Theologus*; qui etiam colloquio Anno 1564. à *Friderico Electore Palatino* inter *Theologos Palatinos, & Würtembergicos* instituto interfuit) in *Tractat. illo*, quem de *excommunicat.* elaboravit, & post mortem ipsius editus fuit, Th. 9. seqq. p. 34. contendit, *notorios peccatores à participatione S. Cœnæ arceri non posse, cum nec sacerdotes V. Testamenti à paschatis esu malos aruerint, ac ne quidem potuerint, cum non coram sacerdotibus, sed in privatis domibus ederetur.*

III. Photiniani.

§. 67. *Scmalzius* contra Franz. p. 327. contendit, pronomen *Hoc* in hâc Christi prædicatione: *Hoc est corpus meum*, non significare *panem illum*, quem Christus tunc porrigebat, *sed ad ipsam panis fractionem, & comestionem referendum esse*, quia in simili loquendi modo non de ipso *agno paschali*, *sed de ipsius insequenti comestione tunc etiam in celebratione festi paschatis dictum fuerit: Hoc est pascha Domini.*

SECTIO TERTIA, In quâ horum errorum brevis confutatio, & textus vindicatio subjungitur.

§. 68. I. *Vapores*, quibus Pontificii hunc textum obfuscare conantur, facile dispelluntur. Ad I. respondemus, falsum esse, *agnum paschalem*

schalem fuisse sacrificium propriè sic dictum, Monstravimus hoc supra §. 5. seqq. Actum agere nolumus.

§. 69. Ad II. hæc reponimus. 1. Negamus, agnum paschalem propriè fuisse figuram, aut typum Eucharistiæ. Vocant quidem ita quandoque patres, sed ἀνύτως, & quidem hanc ob causam, quod simile quid ibi adumbratum fuerit ejus, quod exhibetur in S. Cœna. Hæc itaque ratione immolationis, & oblationis, sed ratione manducationis ita appellarunt. Et hoc sensu utuntur interdum etiam hîc typi & figuræ nomine Nostrates: Alii tamen propriam typi rationem hîc intervenire negant, inter quos est D. Chemnitius Part. 2. Exam. Conc. Trid. p. 117. 2. Posito rem ita se habere, consequentia tamen in hoc argumento in multis vacillat. Si enim in formam redigatur, tale emergit: Quicquid est figura alicujus rei, illud etiam figurato debet respondere. Agnus paschalis figura fuit Eucharistiæ. Ergo. Nam statim subsumere possumus: Agnus paschalis fuit affatus, Ergo, quia ex sententia Pontificiorum fuit figura Eucharistiæ, tunc etiam panis benedictus debet affari; item, quia agnus paschalis domi à patribus familias fuit mactatus; Ergo etiam S. Cœna à privatis debet administrari & dispensari; quæ & alia plura absurda Pontificii non admittent. Figuratum ergo figuræ debet respondere non in omnibus, sed secundum figuræ analogiam, quæ peti debet ex institutione. In illa autem nihil habetur, quod S. Cœna sub unâ tantum specie sit administranda. Confer supra §. 8. Imo si huic figuræ pertinaciter esset inhærendum, recte sic inferre possumus: Quemadmodum in Paschate nullus omnino potus fuit adhibitus, ita nec eum oportet esse in Eucharistia. At qui contra fit in Eucharistia, etiam inter Papistas, qui non audent consecrare panem solum, imo nec Clerici solum panem sumunt & edunt, sed calicem simul adhibent. Quâ fronte ergo figuram hîc urgere, & nobis opponere possunt? Tacemus, quod minor quoque à multis negetur, qui non concedunt, agnum paschalem fuisse figuram Eucharistiæ, nisi ratione manducationis.

§. 70. Excipit Pistorius in Hodeget. p. 396, *Eucharistiam immediate successisse paschati, in quo fuerit oblatio peracta.*

R. Successit quidem Eucharistia paschati, non tamen ut res figurata suæ figuræ, sed ut ritus novus ritui antiquo, & ut Sacramentum N. Testamenti sacramento V. Testamenti. Quemadmodum ergo non sequitur, baptismus successit circumcisioni, in circumcisione autem facta fuit amputatio præputii; Ergo etiam in baptismo; Ita etiam non valet illatio: Eu-

chari-
quia
agnum

EST
scri-
esse, in
figura

apud
fuerit
564.
bergi-
ravat,
notorios
V. Te-
on co-

omen
e pa-
nem,
so a-
efesti

e co-
pa-
alem



charistia successit paschati; In paschate fuit immolatio. Ergo etiam in Eucharistia.

§. 71. Ad III. Neque in hoc argumento ulla est consequentia. Non enim sequitur: Sanguis agni paschalis in postibus domorum inquilinos præstitit intactos, & per illum crucis signum fuit præfiguratum; Ergo crux est venerabilis, & debet adorari. Haut enim omnia, quæ in V. Testamento adumbrata fuerunt, sunt statim adoranda. Deinde neque per sanguinem agni paschalis, quo postes fuere illiti, crucis signum, sed ipsius filii Dei sanguis fuit præfiguratus, teste *Paulo*, 1. *Cor.* V. 7. Signum itaque crucis amamus quidem, & æstimamus, ut Christianæ professionis signum, ei tamen cultum religiosum non deferimus ob interdictum Dei, *Deut.* VI. 13, *Matth.* IV. 10.

§. 72. ad IV. Elumbe est argumentum, quod *Bellarmino* pro cœlibatu sacerdotum urget. Nam quæ sequelâ, vel connexionis ratione colliget: *Exod.* XII. præcipitur, ut comesturi agnum paschalem, renes suos accingant. Ergo sacerdotes debent in cœlibatu vivere, quia per accinctionem renum id fuit significatum, uti *Gregorius* explicat. Absurdissima collectio! Nam 1. per accinctionem renum haut significatus fuit cœlibatus, vel abstinencia à conjugibus, sed potius festinatio, id quod omnes Interpretes concedunt, & inter hos quoque Pontificii. Vestigia itaque typi vel figuræ hujus in hac ceremonia nulla comparent. 2. Neque solis sacerdotibus, aut Levitis mandatum fuit, ut pascha manducaturi renes accingerent, sed universæ Hebræorum multitudini. Stante ergo hac sententiâ, sequeretur, præfiguratum per hanc ceremoniam fuisse, ut non tantum clerici, sed & laici à conjugio abstinerent. 3. Si valet hæc argumentatio à V. Test. quidni etiam hæc: Sacerdotes V. Testamenti licite contrahebant conjugium, & in illo vivebant; Ergo etiam sacerdotibus in N. T. hoc licebit? 4. *Gregorius l. c.* nihil habet de abstinencia à conjugibus, sed carnis voluptatem edomandam esse docet iis, qui agnum paschalem comedunt. *Bellarminus* itaque *Gregorii* intentionem torquet, & quod ille de edomandâ carne dixerat, hic de abstinencia ab uxoribus intelligit, quasi nemo conjugatus sit, qui carnem domet.

§. 73. ad V. Iterum argumentantur à Vet. Test. ad N. Sed à ritibus V. T. ad Nov. N. V. C. Nam Ibi Deus ita instituerat, & præceperat, ut semel tantum in anno de agnō Paschali manducarent; Verum ritus illi sunt abrogati. Hinc in Novo aliud habemus mandatum, quando ipse Salvator dicit: *Hoc facite, quotiescunque biberitis*, *Luc.* XXII. 19, 1. *Cor.* XI.

Cor. XI. 25. Ex quibus verbis colligitur, non semel, sed aliquoties S. Cœnam usurpandam esse. Rectè hinc b. D. Chemnit. part. 2. Exam. Concil. Trid. p. 182. edit. in 8vo: *Christus diligenter, & sollicitè in institutione cavet, ne existimaretur communionem ad certum & statutum tempus alligasse, propterea quia illo tempore, quando Judei juxta legem Pascha manducabant, cœnam suam instituit. Erat enim statutus dies in certo mense anni manducationi paschatos in lege præfinitus. Dicit igitur, hoc facite, quotiescunque manducaveritis, & biberitis, in mei commemorationem. Et particulam illam à reliquis Evangelistis omissam Paulus peculiari sollicitudine bis repetit. Ad utrumque autem particula illa (quotiescunque) respicit; primò ne celebratio, seu communio Cœnæ Dominicæ existimetur sicut Pascha Judæorum ad certum & statutum tempus alligata esse. Secundo, ne existimetur, illud de quo Christus dixit: Hoc facite, semel tantùm in anno faciendum esse, sicut in lege sufficiebat, Pascha semel tantùm in anno manducare, imò non licebat illud vel sæpius, vel alio tempore anni manducare, quam in lege præfinitum erat sive pro mundis, sive pro immundis. Quod autem semel tantùm, & quidem in Paschate, usum S. Cœnæ Pontificiū commendant, id fit potissimum eam ob causam, ut homines ad crebriores privatas Missas audiendas abducant, illisq; persvadeant, si Missas illas [diligenter audiant, tunc futurum esse, ut remissionem peccatorum, & vitam æternam] certo certius consequantur. Hinc haut abs re usus S. Cœnæ apud illos vilescit. Missam autem illam, fictitium, & impium esse cultum, alibi probatur.*

II.

Ad depravationes Calvinianorum respondemus, & quidem

§. 74. ad I. Quando *Beza* disputat, Eucharistiam non debere in privatis ædibus administrari, cum agnus paschalis tanquam figura Eucharistiæ in publico conventu fuerit mactatus, tunc nos 1. invertimus argumentum & dicimus sicut agnus paschalis in privatis ædibus à quolibet patrefamilias potuit salvâ conscientia edi: Ita etiam Eucharistia ibidem administrari potest 2. Ipse Christus in privatis ædibus S. Eucharistiam instituit, & administravit. Si itaque necessarium esset, ut semper in publico conventu Eucharistia celebraretur, tunc Christus quoque in publico conventu instituisset. 3. Falsam esse hanc hypothesin, agnum scilicet paschalem in templo fuisse mactatum, ostendimus supra §. 5.

§. 75. ad II. Ineptè ex h. l. Colligunt Calviniani, voculam

Est,



Est, idem esse, ac significat. Nam in Hebræo vocula *Est* non extat. Ita enim habent verba ibidem ליהויה הויה פסח *transitus hic Domini*. Nam præfixum ל & Dativi, & Genitivi nota est. Exinde ita argumentamur: Ubi non reperitur Copula *Est*, ibi non potest idem sonare, quod significat: εὐδηλον. Atqui in Propositione hæc ליהויה הויה פסח Copula *Est* non reperitur. Ergo.

§. 76. *Dicis*: Si non expressè adest, tamen subintelligitur in mente. *R.* Verba, quæ in mente subintelliguntur, modificari nequeunt. Nam tropus est affectio non conceptuum mentis, sed verborum. Si dicis, vocem הויה ejus vicem supplere: *Transitus hic Domini*; quid hoc ad modificationem verborum Cœnæ? Nam ibi non de pronomine Hoc significatu tropico *Zwinglius* sollicitus erat, uti *Carolstadius* de illo depravando somniaverat, sed de verbi substantivi *Est* sensu tropico. Nullus ergo in verbis *Mosis* tropus, sed propriè illa intelligenda sunt. Tacemus, quod nonnulli Calviniani, & imprimis *Pareus de lit. & sens. Verb. Cœnæ p. 142.* scribant, relativum masculinum הויה referri ad antecedens masculinum אגני agnus. Sic ergo in pronomine הויה nullus potest esse tropus, multo minus idem valebit, ac significat. Neque in פסח, *Phase* tropus adest. Nam vox ista, ut supra §. 11. notavimus, significat h. l. festum in memoriam *transitus Domini* institutum, ut etiam 2. *Reg. XXIII. 21. Num. IX. 2. 3.* Sensus itaque verborum est hic: Totus iste cultus cum omnibus suis ceremoniis est *Pesach*, vel hoc festum sc. *Pesach*, est *Domini*. Qui cultus vel festum non est signum *Pesach*, vel festi, sed ipsum *Pesach*. Confer etiam *Vindicias nostras Hutterianas Disp. XXIX. p. 516. seqq.*

§. 77. Ad III. dicimus, falsum esse, quod *Erastus* probationis loco adducit. Nam publica lex erat data, quæ arcebantur ab esu agni *Paschalis*, immundi, *Num. IX. 10. 11: Homo, qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat Phase Domino in mense secundo, quartâ decimâ die mensis ad vesperam.* Sensus itaque legis est, quod si quis eo tempore, quo ordinariè *Pascha* fuit celebrandum, aut immundus factus fuerit super mortuo, aut peregre abfuerit, ut propter hanc causam tanquam immundus, aut absens mense anni primo cum aliis agnum paschalem edere nequiverat, tunc ipsum hoc facere debere mense secundo, interea autem necessum habere, ut se purget, & sanctificet.

§. 78. *Dicis*: Hæc tantummodo intelliguntur de immunditie legis ceremonialis, haut verò moralis.

R. I. Etiam illi, qui immundi erant ex lege ceremoniali, peccata com-

commiserant; 2. Immunditie ceremoniali adumbrabatur morum vitio-
fitas, & vitæ impuritas, *Hagg. II, v. 14. 15, & Jerem. XI. v. 15.* Hinc Deus
alibi tam corde, quàm carne incircumcisos arceri jubet à sanctuario suo,
Ezech. XLIV. 7. 8. 9.

§. 79. Quæ porro *Erastus* urget, notorios sc. peccatores vel ex
hâc ratione à sacerdotibus arceri non potuisse, cum in privatis ædibus a-
gnus fuerit manducatus, non sunt magni momenti. Nam si notorii pec-
catores fuerunt, etiam Magistratui & sacerdotibus ob facinora commissa
fuère noti, qui procul dubio ex lege Dei, ut se mundarent, & de peccatis
commisissis feriam agerent pœnitentiam, sedulo illos adhortati sunt. Quod
si quis contra omnia interdicta manducavit ut impurus, & immundus
de hoc agno, ille ad iudicium sibi illum manducavit, uti *Paulus* loqui-
tur de ejusmodi præfractis peccatoribus, qui S. Cœnâ utuntur, *1. Cor.*
XI. 29.

III.

Depravationes Photinianorum ita refellimus:

§. 80. Falsum est, quod *actus Comestionis* in particula *Hoc*
notetur, sed potius actus veræ præsentia corporis Christi, vel actus unionis
sacramentalis, cum pane & Corpore Christi insinuatur. Falsa quoque
est probatio *Scmalzii*. Nam particula *Hoc* in hâc propositione: *Hoc est*
pascha Domini, haut notat actum comestionis Israelitarum, sed potius
ipsum cultum Dei, vel ipsam festivitatem, quam in memoriam, transitus
Domini celebrabant.

SECTIO IV,

& ultima,

quæ proponit Typicam agni paschalis præfi-
gurationem.

§. 81. Quod in proœmio hujus Sacræ Meditationis ex *Apoc.*
XIII. 8. diximus, *agnum occisum fuisse ab origine mundi*, & in specie hoc
etiam factum fuisse *in typis*, id nunc paulò dilucidius ostendamus, & qui-
dem ex præsentis typo de agno paschali. Hunc verò fuisse typum Salva-
toris nostri extra dubium ponendum est. Fundamenta enim hujus ty-
picæ significationis monstrat ipsa Scriptura. Sic *Joh. I. 36. Ecce agnus Dei!*
1. Cor. V. 7. Pascha nostrum immolatus est Christus. 1. Petr. I. 19: Redempti e-
stis pretioso sanguine agni inculpati. Confer Esa. LIII. 7. Apoc. V. 6c.
Quâ ratione itaque, & in quibus partibus Christus cum beneficiis suis in
agno Paschali tanquam eleganti typo fuerit repræsentatus, breviter mon-
strabimus.

F

§. 82. Quem-

§. 82. I. Quemadmodum Deus in institutione sacramenti agni Paschalis ad universum populum locutus est, ipsiq̄ve præcepit, ut quilibet de hoc agno manducaret: Ita hoc ipso significatum fuit, beneficia Christi, agni illius Cœlestis, non ad paucos homines, vel ad certum hominum ordinem, sed ad totum genus humanum pertinere, 1. *Joh.* II, 2, 1. *Timoth.* II, 5. 2. *Cor.* V, 9.

2. Inter animalia nullum majorem præ se fert innocentiam, nullum est mansuetius, nullum utilius, quàm agnus: Ita Christus fuit mansuetissimus, innocentissimus, & nemo extitit, qui humano generi majora attulerit commoda.

3. Agnus paschalis ex communi grege sumendus erat: sic Christus ex genere humano veram assumpsit carnem, & homo factus est. *Dent.* XIX, 18: *Prophetam suscitabo eis מקרב de interiore, sive medio fratrum tuorum.*

4. Agnus iste paschalis debuit esse immaculatus & perfectus: ita Christus est sine omni macula peccati tam originalis, quàm actualis, *Esa.* LIII, 9, 1. *Petr.* II, 22.

5. Agnus paschalis debebat esse masculus: Sic Christus fuit *vir ille, quem circumdedit femina in utero*, *Jerem.* XXXI, 22. quo nomine appellatur tum ratione sexus, tum ratione roboris.

6. Agnum istum oportuit esse anniculum in perfecto ætatis statu. Haut enim vel bimestris, vel trimestris, sed anniculus mactabatur: Sic Christus haut in infantia, sed in ipso ætatis flore, videlicet Anno 34. currente immolatus fuit.

7. Agnus ille separatus ab aliis, morti destinabatur: Ita Christus etiam ab hominibus separabatur circa passionem suam, dum etiam proprii discipuli eum, ut morti destinatum derelinquebant.

8. Segregatio illa agni paschalis fiebat die decimâ mensis primi: Sic Christus eadem die Hierosolymam solenniter per eandem portam, per quam agni & oves ad sacrificia duci solebant, ingressus est.

9. Agnus segregatus funibus constringebatur, & toto quatruiduo ligatus in ædibus Israëlitarum jacebat: sic Christus non solum sanctæ obedientiæ vinculis, sed etiam externis funium nexibus propter peccata nostra constrictus fuit, & quidem per quatruiduum. Nam decimo die mensis primi urbem Hierosolymam ut agnus occisionis ingressus fuit, statim postmodum ligatus, & captivatus, custodiæ traditus, & per quatruiduum Captivus permansit.

10. Sicut decimo quarto die finito, id est in vespera, quæ juxta legis computationem ad sequentem diem, 15. pertinet, agnus paschalis mactabatur, sangvi-

fangvine largiter effuso : Sic Christus eadem die 15. in arâ crucis velut agnus ille Dei mactatus sanguinem suum largissimè effudit. Hinc ipse conqueritur *Psal. XXII. 15: sicut aqua effusus sum, separata sunt omnia ossa mea.*

11. Sicut sanguine mactati agni aspergebantur postes, ut Israëlita ab Ægyptiis distinguerentur, & nulla damna ipsis ab Angelo percussore inferrentur: Ita per virtutem sanguinis Christi consperguntur corda nostra, ne pateant Satanae, & morti aeternae. Eodem sanguine etiam conscientiae nostrae purgantur ab omnibus peccatis, & operibus mortuis, *Hebr. IX. 14. 1. Joh. I. 7.*

12. Ad sanguinis istius asperisionem adhibebatur fasciculus hyssopi, *Psal. LI. 9.* hyssopus autem est humilis, & abjecta herbula *1. Reg. IV. 33.* Significatum ergo fuit, quod per Ministerium, quod coram mundo contemptum est, corda nostra sanguine Christi aspergantur, *1. Petr. I. 2.* Hæ enim sunt præcipuæ actiones ministerii.

13. Agnus paschalis assabatur igne: Sic Christus quoque igne assatus fuit, *partim* igne iræ divinæ, quâdo in horto oliveti sudor sanguineus ab ipso exprimebatur, & in arâ crucis, hoc igne tactus exclamavit: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti!* *Psal. XXII. 15;* *partim* igne amoris interioris, sicut canit Ecclesia; *Er ist an des Creukes stam/in heisser liebe gebraten.*

14. Agno paschali, dum mactabatur, nullum os fuit confractum, sed totus expansus assabatur: Ita Christo, dum in arâ crucis mactatus fuit, ossa minimè fuere confracta, sicut aliis, sed omnia integra permanserunt.

15. Agnus paschalis debebat totus manducari non crudus, non elixatus, sed assus: sic vera fides totum Christum amplectitur cum omnibus ipsius beneficiis. Assatum verò Christum comedunt, qui agnoscunt, igneam Dei iram propter peccata nostra in ipsum velut effusam esse. Crudum comedunt, qui vocem Evangelii audiunt, sed sunt sine vera pœnitentia, sine agnitione, & sensu iræ Divinæ adversus peccata: Coctum aquâ comedunt, qui carnales opiniones de Christo habent, & falsis opinionibus sinceram Evangelii doctrinam, ut caupones aquâ vinum diluunt, ac corrumpunt, juxta illud *Esa. I. 22: Vinum tuum mixtum est aquâ. Confer. 2. Cor. II. 61.*

16. Quemadmodum de esu agni paschalis nihil differendum erat in crastinum: Ita pœnitentia, & spiritualis, ac sacramentalis nostra manducatio non differenda, sed *hodie, hodie* vita nostra emendanda est, admonitionem Spiritus Dei, *Psal. XCV. 8.*

17. Agnus paschalis mactabatur in domibus à singulis Patribus familias. Significatum fuit, ut quilibet, qui velit esse verus Christianus, etiam in domo suâ Jesum secum habere, nec illum à se dimittere debeat.

18. | Agnus

18. Agnus paschalis manducari debuit cum panibus azymis, & sine fermento: Ita Christum amemus, & in S. Cœnâ de carne ipsius edamus sine hypocrisi, & malitia.

19. Agnus quoque edendus erat cum herbis amaris. Hoc admonet nos, ut *partim* Christum comesturi cum verâ animi compunctione, & sincerâ pœnitentiâ id perficiamus; *partim* ut cogitemus, piis Christianis multa amara hâc in vita obtingere, illosque oportere per *multas tribulationes vitam eternam ingredi Act. XIV. 22.*

20. Agnus mactabatur, & manducabatur, ut esset peregrinantibus Israelitis quasi viaticum, & in viâ confortativum: sic Christus mactatus in S. Cœnâ ad manducandum nobis exhibetur, ut sit in hac mundana peregrinatione nostrum viaticum, & refrigerium.


21. Agnus immolabatur in memoriam transitus Domini, & liberationis populi de servitute Ægyptiacâ: Christus etiam fuit immolatus, & ad edendum in S. Cœnâ nobis porrigitur, ut certi essemus, & ad memoriam nobis revocemus, illum per passionem, & mactationem suam transfivisse ad cœlestem Patrem, nosque liberasse ex servitute infernali.

22. Israelitæ manducare quoque debebant agnum istum festinanter, & peregrinantium habitu. Hâc ceremoniâ significatum fuit, omnes Christum fide manducantes hoc in mundo habituros esse incertam, & dubiam conditionem vitæ suæ. Meminisse ergo debent, se hîc non versari in patria, vel terra promissionis, & quietis, sed in Ægypto, id est, in mundo peregrinari, in quo Pharo infernalis tenet imperium, atque idololatriâ, Confusionibus, tyrannide, & sceleribus omnia plena sunt. Hîc itaque opus est cingulo, tanquam freno, quo cupiditates carnis mortificemus, & coercemus; Opus quoque est calcis, ne scandalis, ac lapsuum occasionibus pedes nostri faucientur: Baculo quoque opus est, hoc est, præsidio verbi Divini, tum ad firmandos gressus vocationis nostræ, tum ad insultus canum infernalium abigendos, *Psal. XXIII. 4.*

23. Quemadmodum vicini assumendi erant porro, si minor esset numerus domesticorum in unâ familia, quam ut sufficere posset absorptioni agni: Sic quia Judæorum numerus minor erat, vocati sunt ad regnum Christi etiam *Vicini*, h. e. gentiles, qui prius erant hospites & advenæ, jam verò facti sunt *domestici Dei*, *Eph. II. 19.*

§. 83. Ex hisce constat, quam elegans typus fuerit agnus paschalis Salvatoris nostri Jesu Christi, qui nostri causa in arâ crucis fuit mactatus, & cœlesti patri oblatum, quique tot & tanta beneficia nobis acquisivit, & januam ad vitam æternam, quæ antea per peccata nostra occlusa erat, iterum reseravit.

§. 84. Nos hîc pedem figimus, Salvatori nostro Jesu Christo grates, quas possumus, maximas persolventes, quod pro nobis, ut agnus innocens mactari, & acerbissimam mortem perferre voluerit. Ille nos confortet, sit nostrum viaticum, & refrigerium in hac peregrinatione, & tandem ex hâc miseriarum valle perducatur in æterna & Cœlestia gaudia, ubi, cum omnibus electis ipsum celebrabimus in secula non finienda!




00 A 6344

3
ULB Halle
002 847 086


Retro ✓

VD/A







190

7.

MEDITATIO THEOLOGICA
De
AGNO PASCHALI,
Veter. Testamenti sacramento,
ex Exod. Cap. XII. 1 — 12.

IN
DISPUTATIONE PUBLICA
instituta

Sub PRÆSIDIO

GEORGII MOEBII,
SS. Theol. Doct. & Prof. Publ.

RESPONDENTE

ANTHONIO GUNTHERO
FABRICIO,
Raftädâ-Oldenburgensi, SS. Th. Studios.

In Auditorio Theol. Paulino,

die XIII. Mart.

Anno ἐναβρωμήσεως,

M.DC. LXXVII.

LIPSIÆ,
TYPIS JOHANNIS GEORGI.

6.